


R
2088

Haut.

R III, III, 488 v.

(mit 3 Leibnizianen.)

#



IOAN

NIS BVGENHAGII
Pomerani publica, de Sacra-
mento corporis & sanguinis
Christi, ex Christi institutione,
confessio, qua suae fidei de cana
Domini reddit rationem,
Et dicit uale ijs, qui au-
dire nolunt.


Matth. 10. Nihil occultum,
quod non reuelabitur & c.
Esa. 40. Verbum domini sta-
bit in aeternum Amen.

SACRI EVANGELII CHRISTI, HA-
LAE SVEVORVM CONCIONA=
tori, Iohanni Brentio, Iohannes Bugen=
hagius Pomeranus .

GRatiam & pacem à Deo patre nostro
& Domino nostro Iesu Christo . Quæ
omnibus scripsi optime Ioannes ; sine
tuo nomine prodire in publicum nolui,
ut omnes cognoscant, q̄ amem, q̄ uene=
rer nomen illius, cuius iam pridem multiplicia & eru=
dita & pia scripta, pro uerbo Dei in salutem multo=
rum inuulgata sunt, & mundo publicata. Perge, Do=
minus sit tecum Amen.

Ego hic reddo rursus rationem fidei meæ de cænis
dominica contra sacramentarios negatores, coactus non
solum propter officium meum, sed etiam ne bonis ho=
minibus suspectum sit Euangelium meum, postq̄ inter=
pres meus in Germanico Psalterio, me uel coram toto
mundo publicis scriptis & doctrina reclamantem,
fecit Sacramentarium, Et quidam liber dicitur ex Ni=
kelsburg per Anabaptistas sub nomine meo exiisse, sa=
cramentarijs blasphemijs plenus. Egregium scilicet
uirorum factum, Mendacijs & alumnijs asserunt,
quæ docere ut Dei ueritatem uolunt.

Nosti optime Brenti, q̄ quidam uoluerint, nos ob
hanc causam non contendere contra alios, quasi res



non esset tanti momenti, quasi uero contemnendum sit, quando uidemus uerbum Christi negari, & pro eo uerbum humanum statui. Quin potius aueramus quod maxime insidias Satane, quando externa ista, quae uerbo & institutione Christi nobis consecrata sunt & data, tangit, quasi rem non necessariam, quasi Euangelium & omnia adhuc constare possint sine illis. Non obliuiscamur, quod abstulerit nobis Papa totum Euangelium una specie, ut uocant communionis, quasi ita communicare, neglecta Christi institutione atque adeo contempta, laicis necessarium & utile esset etc. restitutus in locum sanguinis Christi laicis prohibiti, tot Missarum abominacionibus. Sic & nunc Sacramentarij quidam, ubi ueritate se premi uident, cupiunt quasi paci consulturi, rem componi, dicentes. Da Christianum, & accipiet in cena corpus Christi etiam corporale, non quod panis aliquid accedat etc. Non consentiamus quacumque specie pacis, non enim est nostra causa, sed Dei, quia praeter ea quae uidemus, non uidemus quae mala ad auferendum Euangelium inde uentura sint, Et certe Satan magna parte se prodidit. Contra manifestum Christi uerbum pugnatur, cuius per nullam charitatem debemus esse proditores.

Pauca itaque illa, quae iam pridem edideram, alijs quae sequuntur praepone re uolui, ut confundamur, qui iactant me uel sensisse, unquam uel nunc sentire pro Sacramentarijs contra Christi institutionem. Deinde multis

multis fateor, quid sentiam de ea, quam uocant consecratione, id est unde fiat, ut panis domini sit corpus eius & poculum sanguis, Et inter haec fere tracto omnia uerba, quae de hac Christi institutione scripta sunt. Post haec scribo contra singulare quoddam genus Sacramentariorum, & quid sentiam de sanctissimo sermone Christi Ioannis 6. descripto. Non alia post haec ex me expectent uerbi Christi negatores. Timeant Christum, quem in suo uerbo oppugnant, certus sum quod expugnare non poterunt.

Tu ergo charissime Ioannes, iam lege mea qualiamcumque, ego tua legere soleo & amare. Vale, & age ut & tu & alij pastores publice admoneatis uestros, ad inuocandum iugiter clementiam patris nostri, quo Satan quod primum conalectur sub pedibus nostris. Nosti quid uelim, non dubito te id semper facere, quod soles scriptis diligenter admonere. Iterum uale. Ex VVittenberga, feria quinta post Iubilate. 1. 5. 2. 8

A 3 Doctissimo

DOCTISSIMO DOCTORI HESSO,
Vratislaviensis Ecclesiae pastori, Ioannes
Bugenhagius Pomeranus.

Gratiam Dei per Christum. Non habeo, quod ad te hoc tempore scribam, doctissime Doctor, nisi quod optamus isthic Euangelio gloriae Dei successum per Christum, cum omni modestia, quam etiam inimicis debemus, quantum saluo Euangelio licet. Quid enim scriberem redeunte ad uos D. Maibano, qui erit ad te os nostrum & Epistola nostra? Caeterum rogauit me idem doctor, ut uno aut altero uerbo tibi scriberem, quid respondendum nouis erroribus de Sacramento Eucharistiae subortis putem. Non certius respondebis, quam ex ipsa scriptura grammatica, quam isti erroris magistri misere lacerant. Et quamquam tu non indigeas, tamen rogatus his paucis seruiuo.

Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus. Contra usum loquendi omnium linguarum est, ut pronomine demonstratiuum aliud hoc loco demonstret, quam quod porrigitur. Atque hic error Carlstadianus etiam Zuuinglio displicet, nempe in pronomine hic & hoc.

Zuuinglius autem quia non bene uidet cessisse rem in pronomine hoc, accipit uerbum, Est, & non substantiue sed significatiue accipi contendit, adducens exempla, ubi sic accipitur. Sed Christus hic non interpretatur somnium aliquod aut parabolam. Et cum scripserint

scripserint tres Euangelistae & Paulus hac de re, ne unus quidem uel uno uerbo indicauit significatiue, est, accipi, Atque adeo diuersum manifeste dicunt, ut statim indicabo.

Quia uero uidet non sequi statim. Est alibi capitur pro significat, ergo & hic capitur pro significat, Alioqui ubique acciperetur pro significat, ut homo est animal, id est significat, restareque ut probet hic sic accipi, nihil aliud habet, quod tamen fortissimum somniat, quam hoc, Caro non prodest quicquam. Atque hic ridemus magnum illum Theologum cum suo Carlstadio. Hoc & est iacent. Quis non uidet illie a Christo carnalem discipulorum intelligentiam damnari? quando carnem opponit spiritui, non iam dicit de carne sua & sanguine, ut ante, sed de carne & spiritu, quemadmodum ubique scriptura carnem damnat, & spiritum probat, nonnunquam carnem literam uocat. Omnis caro fecum. Prudentia carnis mors est &c. Contra Petrus, Verba, inquit, uitae aeternae habes. Non enim hic dicit Christus, Caro mea non prodest quicquam, Alioqui se ipsum mendacem faceret, quia dixerat, Caro mea est pro mundi uita. Tu nihil prodesse dixeris unde est uita mundo? An uita mundi antea mortui & damnati nihil est? Simpliciter autem dicit. Caro non prodest quicquam, quemadmodum Petro alibi, Caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus, id est, Spiritus Dei &c. Nulla caro prodest, prodest autem illa in

Et & R-
Carnalis intelligentia
A 4 qua Deus

qua Deus est, nam uerbum caro factum est. Sicut nulla aqua prodest, sed prodest aqua Baptismi, in qua Dei uerbum est. Item nullus panis prodest, prodest autem in quo corpus Christi est propter Christi uerbum, quod mentiri non potest. Itaq; illud, Caro non prodest quicquam &c. damnat omnem sapientiam, iustitiam & quicquid est hominum, uult uero nos θεολογίας. Impium ergo fuerit referre hoc ad illam carnem, in qua Deus est, qua carne nos sanctificati sumus, Vides itaq; quam nihil habeat Zuinglius, & quam non sit hic Theologus. Quod uero nos Christi uerba & carni uocat, blasphemia est. Nam non laceramus Christi carnem, sed panem edimus & in pane uerum corpus Christi, quod non cernitur, non laceratur, sed adeste & edi creditur propter uerba Christi.

VIDE GRAMMATICA EX PAVLO.

Potus benedictionis cui benedicimus (uulgo quem consecramus) nonne communicatio sanguinis Christi est? id est communicatio, qua communicatur sanguis Christi & distribuitur tibi, mihi, alijs, ut iste thesaurus distribuatur, & fiat nobis communis.

Panis quem frangimus, nonne communicatio corporis Christi est? qua scilicet communicatur nobis corpus Christi &c. Ergo ibi uere est corpus & sanguis Christi. Ille, inquit, panis quem frangimus & poculum quod consecramus &c.

Spiritualcm

Spiritualcm quidem unionem significat quando dicit, Unus panis, & unum corpus multi sumus, sed addit, Quia omnes de uno pane participamus, Nos inquit inter nos unum sumus, sed propter unum panem, quem edimus. Quomodo unus est panis, quem uos editis Vratislaviae, & nos Vuittembergae, nisi unum corpus illic Christi sit? De pane enim externo dici non dubium est.

Accipit panem, fregit & dixit, Accipite, edite, hoc meum est corpus, quod pro uobis (id est in commo- dum uestrum) frangitur & singulis distribuitur. Sicut illud, Frange esurienti panem tuum, id est, diuidens distribue &c. Caeus est, qui hic non uidet in pane esse corpus Christi, & corpus Christi integrum sumi ab omnibus, solum panem frangi externe, qui, quia corpus Christi est, etiam corpus Christi frangitur, id est, distribuitur multis, & tamen non pars corporis Christi datur singulis ut pars panis, sed corpus Christi. Nam sic praemittitur, Accipit panem, fregit sicut & ante Paulus dixerat, Panis quem frangimus, Et subdit, Hoc meum est corpus, quod pro uobis frangitur. Illic ergo est corpus Christi, quomodo uero ibi sit, quid ad me & uiderit ille, qui sic instituit, modo ego credam hic & faciam quod ille commisit.

Hoc poculum uel hic potus Nouum Testamentum est, Repete omnes scripturas, non inuenies nouum aliud Testamentum dici, q̄ remissionem peccatorum

A 5 per

per Christum siue Christi sanguinem, quemadmodum de nouo Testamento scribit Hieremias, Peccatorum eorum non recordabor amplius. Si ergo hoc poculum est nouum Testamentum, est certe remissio peccatorum, quæ impie uino tribuitur, Ergo sanguis Christi est in uino, Id quod exponitur, dum additur in meo sanguine, Et in Euangelistis, Qui pro uobis effunditur in remissionem peccatorum.

Reus erit corporis & sanguinis Domini, Non dicit, reus erit panis & uini.

Non dijudicans corpus Domini, Certe non dijudicant, qui simplicem panem esse dicunt, quando etiam non dijudicant, qui credunt illic esse corpus Christi, at tamen non accedunt quemadmodum Christus commisit, scilicet, ut edant in ipsius commemorationem &c.

Quid queso faciet Zuinglius his duobus locis in quibus nullum, est, habetur, ut liceret ei dicere, Est accipi pro significat? Reus erit corporis & sanguinis Domini. Non dijudicans corpus Domini. Non hic dicitur, Reus erit significati corporis & sanguinis Domini, sed ueri corporis & sanguinis Domini in pane & uino presentis, nam de eò hic dicitur, qui edit & bibit, Neq; dicitur non dijudicans corpus Domini significatum &c.

Syluam prebui, Tu uero in Christo uale,
& orato Deum patrem pro nobis.

In hac

IN hac Epistola utcumq; uarie impetita, nondum uideo, quorum me pœniteat. Vult Zuinglius me non recte dixisse, Hunc esse nouum errorem. Si in hoc respicias, q; quidam contra institutionem Christi senserunt, dixerunt, scripserunt, non est nouus error, Sed nulla unq; constituta est Ecclesia Sacramentaria, id est, institutionis huius Christi negatrix, ut nunc quedam constituuntur, utamq; olim quidam oblatrarint Christi Ecclesijs. Produca mihi uel unam Ecclesiam à temporibus Apostolorum, quæ ita obseruarit & publice docuerit, ut nunc Sacramentarij. Ideo dixi nouum hunc esse errorem, Alioqui dic mihi unum fidei articulum, cui non contradictum sit ab aliquibus. Deinde irridet me, quod consecrationis meminerim, sed infra uidebis meam ex uerbo Christi sententiam. Ut autem consecrationis siue benedictionis obliuiscar, persuade re nititur in Paulo legendum esse, Calix benedictionis, quo benedicimus, id quod offero ridendum erudit, nisi etiam permittere uoluerint, ut legamus, Panis quo frangimus.

Eruditissimis

ERVDITISSIMIS VIRIS MAGISTRIS,
Georgio Spalatino Ecclesie Aldenburgenfis Pasto-
ri, & Ioanni Agricola Islebiana scholae archi-
didascalo, iam Spira; agentibus, dominis
ac fratribus suis, Ioannes Bugenha-
gius Pomeranus,
Salutem.

Dolebitis certe meam uicem fratres in Christo
dilecti, ubi uideritis meam orationem. Quid
futurum putatis per deprauatores nobis defun-
ctis? Sed uiderit ista Deus. Quia uero iam estis in co-
loco, ubi forte & uenditur & legitur Psalterium illud
Germanicam, quod sub nomine meo euulgatum est, &
iactabitur a quibusdam nos cum Sacramentarijs illis
sentire, mitto ad uos Pomeranum ipsum, ut pro se lo-
quatur, ut interim uobis liceat esse securis. Nam tam-
etsi uos essetis mihi optimi in hac causa patro-
ni, tamen quia Pomerani fratres estis, uo-
bis pro me in hac odiosa causa di-
centibus non crederetur. Do-
minus sit nobiscum.

Ioannes

IOANNES BVGENHAGIVS POME-
ranus, de Psalterio suo Germanice translato,
q̄ anno Domini . M. D. XXVI. ex Basi-
lea prodijt in lucem.

Argentina per Martinum Bucerum, commen-
tarij mei, quos in Psalterium Dauidis latina
scripseram, uersi sunt in Germanicam linguam,
& hoc anno primum ex officina Adæ Petri ciuis Ba-
siliensis prodierunt ita Germanice uersi in lucem, in
quibus sunt quidam aliquot sententiæ non ex mea fa-
rina, sed facile fero, gaudeo enim quacumq; tandem
occasione prædicetur Christus.

Non seram autem, q̄ meis sententijs & sub nomine
meo admixta sunt, quæ ego sane non possum (ita me
amet Christus) non impia iudicare, nempe quæ uel in
CXI. Psalmo, cuius initium est, Confitebor tibi &c. de
Eucharistia inserta sunt, quasi ego sim assertor illius
opinionis, quæ contra manifesta uerba institutionis Chri-
sti, negatur a fidelibus in Eucharistia uerum corpus
Christi edi, & uerum eius sanguinem bibi, quasi ita
oporteat contra uerbum Christi pugnare, quæ admo-
dum Dei favore, contra traditiones humanas & im-
pium huius tam sancti Sacramenti abusum pugnatum
est.

Quasi uero non sim is, qui non solum in alijs libris,
sed etiam in publicam contra hanc opinionem edita ad
D. Hessum

D. Hessum Epistola, haud obscuris uerbis meam testatus sim sententiam? ita ut Sacramentarios prouocarem, ut editis in me libellis, alij sua eruditione, alij suis ineptissimis ineptijs, non tam contra me, quam contra Christi uerbum abusi sint, Qui potuit ista interpretatus meus ignorare? Qua ergo conscientia ausus est mendo imponere, quasi ego ita & seuirum & docerem? Ego scilicet hic conuitia dicerem, si istam perfidiam dignis uerbis tractarem? Non conuitia, sed ueritatem uel mundo iudice.

Sed ego non ago, ut uel meum nomen defendam, uel cuiusquam contaminem, Viderit ista Deus, qui iusto iudicio uult, ut mendacijs seducantur, qui dilectionem ueritatis non susceperunt, Ago uero nunc tantum, ut non sinam sub nomine meo, quae non sentio, atq; adeo contra q̄ propter institutionem Christi sentio, inuulgari, aut si qui gaudent seduci & humanas sequi cogitationes, non dicant me, contra publica de me testimonia, seductionis uel auctorem uel cooperatorem.

Nam tantum abest ut Bucero male uelim, ut etiam doleam cum in hac incidisse, utq; nunc cum dolore quoq; hoc dicam, quod me dicere oportet, postq̄ illa opinio non solum sub nomine meo, sed etiam in insigni Psalmorum opere inuulgata est, nisi tacendo uelim seductionis habere consortium. Ipse mihi testis est, quantum uirum fecerim & quo candore suspexerim, ita ut eius

arbitrio

arbitrio meum Psalterium permiserim. Sic enim in praefatione illa sua in Psalterium scribit me ad ipsum scripisse, & uere scribit.

Interpretare mi Bucere hoc meum Psalterium q̄ liberrime, muta, adde, decime, in alium ordinem colloca, quaedam suo loco repone, quaedam uel clarius uel aliter interpretare, ut non magis meum q̄ tuum sit Psalterium, Omnia hic tibi per me licebunt, quibus consultum speraueris nostris Germanis, ut nunc indocti & pueri aliquid Psalmorum intelligant, in quibus intelligendis non parum antehac doctissimi etiam doctores hallucinati sunt. Perge itaq; Dominus sit tecum, Amen. Haec mea sunt, quemadmodum ipse uere scribit, quibus ita subiungit, Haec sunt uerba interpretis nostri Ioannis Pomerani, quae sua manu ad me perscripsit, secundum quae me ita continui, ut nihil omiserim eorum, quae ipse Pomeranus latine ad ueram & genuinam Psalmorum intelligentiam utiliter scripserat, licet in alium ordinem redegerim, quemadmodum uidebatur commodius pro laicis futurum, Haec ille.

Quod si praestitit quae promisit, gaudeo, non enim uidi omnia, sed unde queso causa illa Sacramentaria irrepsit in meum Psalterium? forte hic liber aptus uisus est, in quo omnia, quae quidam contra nos sentunt, uel refragantibus nobis, sub nomine nostro uendentur. Id quale sit quis ignorat?

Esto

Est propter conscientiam non uoluerit nostram de
Eucharistia sententiam asserere, ne aliena quidem re-
dendo siue interpretando, cur non in totum omisit, quod
et ipse recte asserit, non esse necessarium, ut in eo
Psalmo de sacramento Eucharistiae dicatur? Et ego ce-
te laudassem eum ut uirum bonum, qui meos (ut ipsi
uideri uult) errores, propter conscientiam, non ausu-
fuisset prodere Germanis, Non enim ab ullo postula-
mus, ut contra conscientiam agat uel dicat utamq; ex-
ret, Cur ubi nihil opus erat occasionem quaesuit in se-
rendi suum dogma quasi meum, ut sic nomen meum et
ministerium uerbi mihi a Deo commissi contaminaret
et fidelibus suspectum redderet, quando interim ego
optima quaerq; de eo seruiebam?

Omnis uero exasatio hic ridicula erit, quando ego
in eo loco paucis uerbis de Sacramento dixi, quae nihil
dicunt contra istam nouam opinionem, quae (uel omni-
bus Sacramentarijs testibus) ipse potuisset bona con-
scientia non solum ad uerbum reddere, sed etiam pu-
lice praedicare. Quod autem, propter haec uerba, non
sentiam quod noua opinio docet, non obsacris uerbis
testatus sum in praecedenti Psalmo, Dixit dominus etc.
Ut non dicam, quod quando scribebam, ne suspicari
quidem liuerit, hoc incendium contra Christi insti-
tutionem aliquando saeuitutum.

At forte eadem uerba mea, quibus liberum ei fce
mi

meis uerbis addere, demere etc. non solum eum exas-
sabunt, sed etiam me arguent iniuste agere, quod ac-
asem propter istam additionem, Quasi uero ego non
prescripserim ei sententias, in quibus se contineret.
Aut propterea scilicet ederet sub nomine meo senten-
tias, quas non ignorat a nobis publice damnari? Pote-
rat et alius addidisse meis sententijs has et similes,
Lapidem esse panem, aquam esse ignem, Turcam esse
Christianum, Deum non regnare etc. et postea ex-
cusare, atq; adeo contendere, se iure fecisse, quia per-
misissem ut adderet quae uellet, ita scilicet egregie
praestaret quae ego ex ipso speraueram?

Videant alij hic meum candorem, Ego autem plane
hic meam accuso stulticiam, immo et peccatum fateor,
quod istum thesaurum uerbi Dei, mihi a Deo com-
missum, hominis arbitrio permiserim, cum tamen ipse
doceam, nulli fidendum nisi uni Deo, utamq; charitas
sit omnium serua, Stultissimus sim necesse est, si non
post hac cautius in istis fidei rebus agam. Nam mea
hac (ut ingenue fatear) stulticia, non tam me quam
optimos quosq; qui apud nos sunt uiros, de Christi
Euangelio optime per gratiam Dei meritos, reddidi
suspectos, quasi sentiant hoc de Eucharistia meam,
quod nemo ex nobis, qui publice docemus sentit, quan-
quam liceat facile mederi isti morbo siue suspicioni,
Id autem quo pacto factum sit iam exponam.

B Vbi

Vbi ceperat uenum exponi Psalterium Germanicum, ego securus agebam, quasi omnia quae uolebam recte arata essent, donec fere post dimidium annum quidam ex Augusta ueniens indicaret Sacramentariam illam opinionem esse Psalterio insertam. Obstupui primum, Deinde ubi addidisset, Et quia tu sic diceris scripseris, aiunt propterea totam scholam Wittenbergensem ita sentire, cepi ridere, reputans hominem ineptire, Quid inquam hoc ad totam scholam, si unus Pomeranus ita sentiret & scriberet? Verum penitus rem intuitus, perspexi famam istam non omnino uanam, atq; hic patrem illum mendaciorum Satanam satis aptam speciem habere & suam, quo persuadeat nos omnes ita sentire.

Siquidem praeposita est Psalterio praefatio illa mea ad illustrissimum Saxoniae principem Friderichum, Electorem &c. cuius memoria in benedictione est, in qua praefatione fateor me, ea quae in Psalterium scribo, in nostra schola docuisse, Et praeterea additae sunt commendationes Doctoris Martini Lutheri & Philippi Melancthonis, quibus lectori commendant omnia quae in Psalterium scripsi. Cum ergo in Psalterio Germanico lecta fuerit impia de Sacramento opinio, dicitur non solum Pomeranum ita sentire, sed etiam publice in nostra schola esse asertam, & per Doctorem Martinum & Philippum publico testimonio confirmatam, quando

quando in schola publice tractatum esse aserit Pomeranus, & illi duo primarij uiri confirmant quicquid in Psalterium Pomeranus scripsit, Itaq; totam scholam in hac parte non solum non contradicere Pomerano, sed etiam eadem cum ipso docere, Hoc uoluit Satan. Dicantur ista latine exaudi, & mitti ad Gallos, & illos qui Germanice nesciunt. Si negotium Dei agunt, quid opus est istis emendatijs & eumentis suffragijs?

Igitur te Christiane lector per Christum obsecro, ut & uerbis & literis admoneas tuos, ad quos forte nostra haec non perueniunt, si inciderint in Psalterium illud Germanicum, ne hanc de Sacramento opinionem, qua negatur uerum corpus Christi edi a fidelibus, quando editur panis Christi, & uerum sanguinem Christi ab eisdem bibi, quando bibitur calix Christi, sub nomine nostro suscipiant. Nam etiamsi uera esset illorum opinio, tamen dicere Pomeranum ita sentire, ita in schola hac publice aserere, ita ad illustrissimum Saxoniae principem Friderichum in Psalterio scripseris, & uiros illos Doctorem Martinum & Philippum publica commendatione hanc quasi Pomerani opinionem confirmare, tam impium est, ut uel me tacente (O utinam tacere licuisset) quotquot nostra audierunt & legerunt, etiamsi aduersarij sint, cogantur clamare tam impudentia esse mendacia, ut nihil impudentius dici possit.

Nolo ego esse confors illorum, qui bonas perturbant conscientias, pro quibus liberandis Christus mortuus est, & remorantur cursum Euangelij, ut alij ista diffensione offendantur, alij uero nihil agant aliud, q̄ negocium Sacramentarium, quasi iam reuelatum Euangelium nihil sit, nihil remissio peccatorum, nihil pacate per fidem conscientiae, nihil quod filios Dei agnoscimus nos esse factos, nihil q̄ rectus Sacramentorum Christi usus mundo indicatus est, Et cum perturbare possint conscientias, nullam consolari possunt. Nullam enim ne suam quidem ipsorum, qui saniores inter eos uidentur, certā de suo quem finxerunt tropo reddere possunt. Testes sunt contra eos tam multi libri, quos ipsi de ea opinione ediderunt. Et qui istam certitudinem in ipsorum libris non requirit, dignus est, qui nihil aliud legat quam talia scripta.

Nolo inquam confors esse illorum, ut a certis Christi uerbis, qui me non fallit, ad dubias hominum interpretationes deficiam, sciens uel Petro Apostolo admonente, quod qui loquitur, id est, docendi habet officium, certus debet esse, se non loqui nisi sermones Dei, neq; ignoro illud Pauli, Qui autem conturbat uos pertabit iudicium quicumq; fuerit ille.

Miror uero, q̄ cornuam oculos configere uolentes, diaant omnes ueteres a tempore Apostolorum pro opinione hac Sacramentaria & sensisse & scripsisse.

Sperant

Sperant forte neminem praeter se ipsos esse, qui ueterum scripta uel uiderit uel sit uisurus, Qua quaeſo conscientia ita asserere audent, qui tamen publicis scriptis gloriantur se omnia, quae ueteres scripserunt diligentissime excussisse. Scripserunt quidem ueteres multa de spiritali manducatione & Eucharistiae Christianae usu, quae admodum & nos haecenus & praedicando & scribendo, tamē oportunis quoq; locis ex Christi institutione & uerbis edocti, fatentur cum Christo non obscuris uerbis, panem & poculum Domini (quae Eucharistia dicitur) discipulis Christi uescantibus esse uerum non fictum corpus & sanguinem Domini. Discipulos autem Christi uoco eos, qui per Euangelium docti confitentur uel confiteri uidentur Christum, & ea quae sunt Christi, quales quales sint coram Deo, qui solus ueros discipulos a falsis dum latent, nouit discernere. Nam in consummatione saeculi primum colligentur ex hoc regno Christi omnia scandala & operarij infidelitatis. Haec non obscure uidebis in illis uerbis, Et praeterea ita secrete scribunt ueteres de Eucharistia, ut ne suspicatos quidem uidere liceat posteritatem aliud sensuram, quam ibi esse corpus & sanguinem Christi. Quin & uetustissimus post Apostolos scriptor Tertullianus, quo ut alij isti nostri contra nos abutuntur, aserit in libro de resurrectione carnis nostram sententiam dicens, Caro nostra corpore & sanguine Christi uescitur, ut & anima de Deo saginetur. Quid clarius

B 3 dici po

dici poterat? Videatur illic locus, ut uideas quod alibi Tertullianus dicit figuram corporis, non eam Tertulliano esse, quam isti sibi fingunt. Tam itaque uerum est uereres negasse in Eucharistia esse corpus et sanguinem Domini, quam uerum est Wittembergensium scholam ita docere.

Verum non est huius instituti causam ipsam tractare, qui credit credat, qui contendit contendat. Per hanc autem quae hactenus dixi, tam notum uolo omnibus, quod notissimum, non esse meam de Eucharistia sententiam, quae in illo Germanico Psalterio, de quo diximus, legitur quasi nostra. Nouit Deus me secundum conscientiam meam locutum. Ignosco facile omnibus, modo cessent perturbare conscientias, quas sua opinione consolari non possunt.

Ceterum de Psalterio latino, quod primum inuulgatum est anno. M. D. XXIII. securos facio et uenditores et emptores, ne timeant me post hac illud uelle facere melius, ne credant typographis semper adiuentibus, Emendatum, denuo correctum &c. Siquidem ut ab initio inuulgatum est, ita quantum in me est, permanere debet, ut sit memoriale illius insignis doni Dei, quo dedit mihi usque ad finem Psalmorum absque alio duce percurrere, quando me quotidiana praelectiones urgebant.

Et praeterea non mihi tantum arrogo, ut omnia au-
pian

pian alijs, in hac Euangelij luce, indicare, quae uel aliam uel clariorem in Psalterio meo requirant interpretationem, quasi alij nihil uideant, et quasi non satis sit sapienti dedisse occasionem, maxime nunc, ubi tam perspicuae redditum est a doctore Martino Germanica lingua Psalterium, ut etiam commentarij uice esse possit.

Ad haec, si nulla alia esset causa, tamen uel propter illos nihil immutare uolo, qui in alieno libro uolunt esse magistri, dum licet eis inuenire quod reprehendant, quibus cedere nolo, sed quemque potius relinquere uolo, ut libere iudicet de Psalmorum sententia, Quae potius interpretantur ipsi aliquem ex Prophetis nondum nostro saeculo interpretatis, ut eorum uideamus magisterium? Legant ipsi meam praefationem, et uidebunt in Psalterio meo per Christum praestitisse quod promiseram, Noui quod sit mihi curia suppellex, dedit enim mihi Deus mentem, ut possum me intra pomeria mea continere.

Nitidius igitur forte Psalterium meum et maiori diligentia exactum posthac exhibebunt chalcographi, auctum uero per me non exhibebunt. Quod si quandoque uisum fuerit, ut aliquid addam, seorsum edito libello efficiam, ne grauem eos altera emptione, qui nostra prius sibi pecunia compararunt, Dixi.

B 4 Bucerus

Bucerus meus post hanc meam accusationem, ut uideo, publico scripto sic exasat, ut tergat os, quasi nihil in me peccarit, sed frustra. Vult enim uideri quasi sua in meum Psalterium Sacramentaria additione, nihil uel contra me uel contra institutionem Christi dixerit, At hæc sunt eius uerba inter reliqua, quæ ibi de suo Sacramento scribit.

Christus quidem inquit porrigens panem discipulis suis dixit, Hoc est corpus meum, sed panem edere iussit & ad corpus suum illos remisit, quod pro eis in mortem tradebatur, ut hoc crederent, & interne reciperent & spiritualiter ederent, Quia quod corporale est non prodest, immo magis obest. Iccirco uoluit eos credere, quæ quemadmodum eis corporaliter dedit suscipere panem & uinum, ita eis ad uitam animæ daret suum corpus & sanguinem, in eo, quæ traderet ea in mortem pro eis, Et talia ita spiritualiter deberent edere, id quod solum uitam æternam adducit, quemadmodum manifeste docet Dominus Ioan. 6.

Hæc uerba Buceri, ut alia omittam, leguntur in Psalterio Germanico quasi mea, quibus manifeste negatur panis, de quo Christus dicit, Hoc est corpus meum, esse corpus Christi, & poculum, de quo Christus dicit, Hic est sanguis meus, esse sanguis Christi, Et obesse dicit si corporale aliquid ibi fuerit. Quæ qualia sint, & quam non intelligant, quid sit uerba Christi esse spiritum & uitam, dicerem uerissime, non per alumnas,

nas, ut me solent inuadere, si gauderem contra homines scribere, & me de omnibus, id quod non debeo, uindicare. Meam sententiam sequenti libro satis pro didi, tametsi etiam antea eam oportebat aduersariis nostris ex publicis meis scriptis, quæ se legisse fatentur, esse notissimam. Hæc itaque sunt, quæ Bucerus sub nomine meo in Psalterio inuulgare non debuit, quæ ut nunquam sensi, ita nunquam uel docui uel scripsi. Simi, si ita permisit Deus, seductores sub nomine suo, non sub alieno.

Christus instituit edi panem, quem suum esse corpus dicit, Et Bucerus dicit, Christus iussit edere panem, qui non est corpus eius. An non qui dicit, Accipite, comedite, Hoc est corpus meum, iusserit nos edere suum corpus, edendo panem, quem certe suum corpus esse dicit? An non pani huic aliquid accedit, non propter panem sed propter nos, quando ei accedit hoc uerbum Christi, modo tu huic uerbo credas, qui Sacramentum hoc es suscepturus? sed de his infra dicam. Non ergo neque pro mea sententia dixit, neque pro Christi institutione, de quo eum adhuc coram Ecclesia accuso.

Cæterum quod accusat me quasi iam didicerim male dicere, qui uoluerit scire, num uerum sit, legat orationem meam contra eum, quantum quæ sanctitas esset, si impium eorum dogma bonis uerbis ornarem? Hoc scilicet ulli sancti fecerunt aut Christus ipse?

B s Ad hæc

Ad hæc notat meam arrogantiã q̄ scripsi, Postq̄ illa opinio non sub nomine meo, sed etiam in insigni Psalmorum opere inualgata est &c. Hic artis simul & magnæ charitatis opus est dicere, Non est tanti Psalterium tuum quanti tu facis &c. quasi ego unq̄ publicis scriptis mea magnificarim? Iam ignorat latinus homo, quid latinis insigne significet. Intellexi librum esse, quem multi sibi uelim, uel propterea q̄ qualemcunq̄ promittit Psalmorum interpretationem, qui non statim percat, uel propter ipsos sacros Psalmos, ut multi alij futiles dialogi & inepti libelli, ut non dicam impij, qui nunc passim eduntur. Deinde, quid si dixissem insigne Psalmorum opus, non meos commentarios, sed quos Bucerus ex meis suos fecerat? forte nihil peccassem. Certe uerba mea sic possent accipi ab illo, qui meam sententiã ignoraret, & huc inclinasset charitas, nisi calumnia regnaret. Præterea an non per se Psalmorum opus insigne est, etiam si uel mei uel aliorum commentarij non accedant? Non ergo hic debebat uidere festuam in oculo fratris.

Sed quid me tandem calumnijs obruit, ubi in fine scribo de Psalterio latino, quæ ad causam eius nihil attingent, quanta ibi mihi faceret peccata, nisi per Christum ab homine peccati essem absolutus? An non licet mihi, quod licuit sancto Augustino, nempe retractare quædam integris manentibus prioribus libris &c.

Quod

Quod si Deus aliud uoluerit, propter uerba mea non refragabor diuinæ uoluntati.

Faciat Deus, ut idem dicamus omneis una mente, uno spiritu, secundum uerbum Dei & Euangelium domini nostri Iesu Christi, Amen.

Quando uero Bucerus, Zuuinglius & Oecolampadius publicis scriptis contendunt, quasi in eo Psalmo scripserim pro ipsis contra nostram sententiã, adscribam huc omnia mea uerba ex illo loco, de quibus ipsi dicunt. Sic scripsi.

Hoc solum Sacramentum, id est, uerbum caro factum, esca est timentibus Deum, id est, credentibus & peccata sua agnoscentibus, qui isto pane solo se credunt refici. Quod Sacramentum, qui non timent Deum, nunq̄ edere possunt, ut ista clare uidet Ioannis 6. Est autem Sacramentum hoc edere, credere Christum pro te carnem & sanguinem factum, & utrumq̄; in rem tuæ salutis expendisse. Si ita credis, habes uitam æternam.

Hactenus nihil dixi de Sacramento cænæ Domini, sed de spirituali manducatione, id est, de fide, qua incorporamur semper donec credimus Christo, de qua infra dicam ex 6. cap. Ioannis. Post hæc uero uerba de Sacramento cænæ statim addo ista.

Sacramentum uero externum panis & uini siue corporis & sanguinis Christi, huius tantum signum est, quod sine hoc indigne sumpseris ad iudicium. Quapropter

propter cenſeo nunq̄ uel docendum uel ſcribendum eſſe de externo Eucharistiæ Sacramento ſine iſto, de quo diximus (quod receptum quidem eſt ab oꝝ oculis noſtris in cœlum, ſed tamen ſemper ſua uirtute præſens eſt timentibus Deum) ne ſcilicet Sacramentum ſine fide amplecti uideamur. Hactenus recitauit mea uerba ex Pſalterio.

Primum, quando hæc ſcripſi nondum Sacramentarij negatores prodierant, alioqui ueritus eorum alumnias non dixiſſem, huius tantum ſignum eſt, huius inquam, nempe quod uerbum caro factum eſt, & ita pro nobis in cruce expenſum. Si cui diſſident mea uerba, abijciat ea, hoc enim ſolum quero, ut uerba Chriſti nobis maneat integra, quicquid ſentias de meis. Liberior quidem dixi, quando res erat extra contentionem, quemadmodum & Auguſtinus nonnunquam hac de re liberior dixit, quia ne eius quidem tempore aliud credebatur ab Eccleſia, ſed tamen ijs uerbis uerum dixi, nec aſerui aliquid pro Sacramentarijs.

Siquidem de Sacramento externo bis dixi, & hoc ſignum tantum eſſe, quod ubi uideo, dico me uidere corpus Chriſti, ubi tango, dico me tangere corpus Chriſti, ubi edo, dico me edere corpus Chriſti, & tamen interim panem uideo, panem tango, panem guſto, ſi externitatem Sacramenti attendas, nihil aliud ſenſus iudicare poteſt. Sola fides interim dicit propter uerbum Chriſti hoc

ſi hoc eſſe corpus Chriſti, & quemadmodum credit, ita eſt, non enim credit hic ſine uerbo Dei. Non ergo negaui cum dixi de externo Sacramento, quid intus hoc contineat, nempe corpus & ſanguinem Chriſti, ſecundum Chriſti inſtitutionem; Sed illud, nempe externum Sacramentum dixi ſignum, cum hoc interim, quod ibi eſt corpus & ſanguis Chriſti non ſignum, ſed ſignatum eſt.

Hanc meam ſententiam debebant uidere, ſi non gauderent eſſe alumnatores, uel ex commentarijs Pſalmi ſuperioris, licet paucis, Nam fidem ſemper ſtudi inculcare noſtris, ne abſq; fide ſine fiducia in Chriſtum accurrerent, edentes & bibentes indigne ad iudicium. Hæc uero mea uerba, quæ iactant pro ſe ſcripta, quæ ſere omnes, ut publicis ſuis ſcriptis teſtantur, legerunt, ſim nobis VVittembergensibus teſtimonium contra impudentiam eorum mendacia, quibus nos mundo traduant, quaſi doceamus ob carnalem Sacramenti commeſtionem reſponſum
mitti peccata.

De confeſſione

DE CONSECRATIONE QUAM VO-
cant, id est, unde fiat in cena Christi nobis cor-
pus & sanguis Christi, & qua potestate
Sacramentum hoc demus & accipia-
mus, nouissima Ioannis Bugenba-
gij Pomerani confessio.



Desinant hodie mirari Sacramen-
tarij nostri, qui fieri possit, ut in
Sacramento edamus Christi cor-
pus, & bibamus eius sanguinem,
quando Christi corpus sedet in
dextra maiestatis in excelsis, ue-
riti ne interim suis sedibus Chri-
stum detrahamus. Christus se totum exhibuit suis disci-
pulis a resurrectione per quadraginta dies, & licet
glorificatum in gloria patris (id quod nemo negare de-
bet, & nos manifestis scripturis ostendemus in libello
nostro, qui inscribitur Fragmenta) tamen adeo crasso
corpore, ut potuerit tangi, & tactu uisus: iudicari ha-
bere carnem & ossa, quæ spiritus non habet, & tamen
non deseruit interim suam gloriam, in quam introierat
per mortem suam. In terris aderat corporaliter, & ta-
men regnabat in dextera patris, ille idem Christus, qui
fuerat occisus, non reliquit, interim suam sedem uer-
uam.

Quod si Christus esset proiectus in unum angulum
aliquem

aliquem cæli, & dextera Dei esset talis, qualem ipsi
fingunt, non est adeo stupida nostra ratio & intellectus
humanus, quin dicemus eos uera dicere.

Nam etiam nobis, si relicto uerbo Dei iudicium ra-
tionis ad diuina admiserimus (ut interim taceam om-
nis articulos fidei) mirum uidetur, & cui non ? non
solum, qui fieri possit, ut Christus in Sacramento det
suum corpus & sanguinem fidelibus, qui tamen faten-
tur eum ascendisse ad cælos, nec rediturum nisi in no-
uissimo die, sed etiam quod in ultima cena, suo corpore &
sanguine integer assidens, dederit singulis discipulis
suum corpus & sanguinem, nihil ueritus, ne crederetur
habere plura corpora, si Petrus ederet corpus eius, si
Iacobus, si Ioannes &c. aut putaretur mentitus dicen-
do, Edite, hoc est corpus meum, Bibite, hic est sanguis
meus, si ubi ederent uiderent integrum corpus adhuc
ibi sedere.

Neque tamen talia mira siue miracula auertunt fide-
les a consideratione Sacramenti, ut fingunt Sacramen-
tarij, quia miraculis talibus non occupamur, scimus mi-
racula esse & permittimus miracula manere. Non se-
quimur somnia rationis humane, aut occupamur ijs,
quæ Deus nobis non mandauit, permittimus libenter,
ut Deus sit sapientior nobis. Sequimur uero uerbum
Christi, unde certo certius est quid instituerit, quid
dixerit, quid iusserit, ne ignoremus nostram illam,
quam uocamus Eucharistiam.

illi

*Augusti si
Ps 31 fidei
Christi in
quibus
fuit quod
mirandum
est, quod
suum cor-
pus hoc est
corpus me-
um, sed
illud cor-
pus me-
um fuit*

Contra Papistas
Illi uerbo nihil addimus, nihil demimus ut Papista,
Nam non facimus inde sacrificium pro uiuis & mortuis,
ad deuorandas domos uiduorum & aulas principum,
ad extollendos nos supra Deum, Non seponimus
seorsum & referuamus ut uulgus adorct solum, non
etiam edat, non circumferimus &c. Quia ad hæc omnia
non est datum hoc Sacramentum. Neq; prohibemus
alteram ut uocant speciem siue calicem Domini laicis,
quando scimus Christianis totum Sacramentum, ut Christus
instituit, ab ipso Christo datum, nec fecisse illum
aliquam suorum discipulorum, id est, Christianorum
in Sacramento accipiendo differentiam, quemadmodum
& obseruatum uides in Ecclesia Corinthiorum,
& tempore ueterum Ecclesie doctorum.

Contra Graecos
Sed neq; corrumpimus Christi uerba effectis tropis,
ut nostri Sacramentarij, & se & scripturam misere
torquentes, Qui ubi habent nueros istos pro sua, ut
putant, opinione, aheneos, Christus sedet in dextera
patris, Caro non prodest quicquam, qui muri quidem
sunt, sed tantum ualent ad eorum opinionem tutandam,
quantum nix ualet ad calefaciendum, tamen nondum
bonam speciem pro se, licet multis iam editis libellis, fa-
cere potuerunt huic uni uerbo Pauli, Non diiudicatis
corpus Domini.

Quid ergo nos facimus? Non agimus in occulto, neque
docemus sub medio. Breuiter audi, hoc facimus.

Conueni-

CONVENIMVS, ACCIPIMVS PANEM
& edimus corpus Christi, in commemorationem
corporis Christi pro nobis in cruce mortui. Si-
militer accipimus poculum, & bibimus sangui-
nem Christi, in commemorationem sanguinis Christi
pro nobis in passione eius & morte effusi. Hæc
omnia facimus & credimus secundum Christi in-
stitutionem,

Hæc est simplicitas nostra in Christo, a qua sim-
plicitate etiamnum serpens hodie abducit multos, ut
Euam, Et ridemur & traducimur ut insanissimi, nempe,
qui non possumus nosse panem, & uinum
esse uinum, id quod communis sensus nouit in sanis ho-
minibus, & norunt Iudæi & Turcæ. Præterea accu-
samur tam multis Sacramentariorum libris ut impiissimi,
nempe qui doceamus contra scripturam, contra ar-
ticulos fidei, & faciamus nobis aliquem deum impa-
natum, quasi scilicet dicamus Deum factum esse panem,
cum potius dicamus cum Christo, panem quem edimus
in Christi commemorationem, esse corpus Christi. Adco
iste Satan utranq; eruditus, nondum nouit aptis uerbis
blasphemare, ne etiam uel bona sanctaq; specie blas-
phemando se non prodatur spiritum esse mendacij.

Vbi uero nos ita impios fecerunt, & damnauerunt to-
tum Euangelium nostrum, accusant insuper nos nullam
habere

C

habere charitatem, dum uel paucis contra ea quæ scribunt tam multa, indicamus errorem & mendacium esse à Satana. Si ipsis res est contra Papistarum consecrationes, persequentium Euangelium & gloriantium tamen de suis unctionibus & rasuris, quid damnant synceros Euangelij & professores & confessores?

Quod si quis huius simplicitatis nostræ requirat rationem, legat Paulum. 1. Corinthior. 11. claris uerbis pro nobis dicentem. Et nos ita respondemus, si forte etiam audiant nostri aduersarij, quibus non minus quàm alijs consultum uolumus.

Primum dixi, Conuenimus, Nam in sui commemorationem Christus hoc Sacramentum instituit. Commemoratio autem, exponente Paulo, est annuntiatio mortis Christi, frustra uero annunciaueris ubi alij non adsunt. Conuenimus ergo & prædicamus, cantamus, sed cantu intellecto, & quem etiam uulgus cantat, & oramus, fatentes mortem Christi & gratias agentes.

Præterea dixi, Accipimus panem & edimus corpus Christi, accipimus poculum, & bibimus sanguinem Christi, Nam Christus dicit, Hoc facite. In quo uerbo fidenter facimus, quæ Christus instituit. Non fidimus in nostris consecrationibus & anhelitu, ut stulte obijciatur nobis, sed hoc uerbo Christi, Hoc facite, hoc est, fidimus in Christi institutione & iussione.

Sed hic

Sed hic discordia orta est ex isto uerbo, Nam Sacramentarij exponunt, Hoc facite, id est, accipite panem & comedite panem, accipite uinum, & bibite uinum. Ita dicere debent, qui nolunt uidere & audire Quid Christus dicat.

Nos uero inuiolatam seruantes Christi institutio-
nem, & nihil ex institutionis uerbis deprauantes, sic
dicimus, Christus accepit panem, & dedit discipulis
suis dicens, Accipite, comedite, hoc est corpus meum,
quod pro uobis datur. Hoc facite, quoties feceritis, id
est, accipite panem & comedite meum corpus, cre-
dentes panem, quem secundum meam institutionem edi-
tis in mei commemorationem, non simpliciter esse pa-
nem, sed meum corpus, quod pro uobis datur. Similiter
accepit calicem, & dedit eis dicens, Bibite ex hoc om-
nibus, hic est sanguis meus &c. Hoc facite quotiescunq;
biberitis in mei commemorationem. Facite inquit hoc,
id est, accipite calicem & bibite meum sanguinem,
credentes poculum, quod me instituente in mei commemo-
rationem bibitis, esse meum sanguinem.

Christus ergo non instituit & dixit, Hoc facite, id
est, accipite & comedite panem, accipite & bibite
uinum, sed, Hoc facite, id est, accipite & comedite
meum corpus, sic instituo, sic uolo, sic iubeo, Accipite
& bibite meum sanguinem, sic instituo, sic uolo, sic iu-
beo, ut in mei commemorationem bibatis sanguinem
C z meum

meum, Non instituo, ut in mei commemorationem edatis simpliciter panem, sed panem quem editis, credatis esse meum corpus. Similiter non instituo, ut in mei commemorationem bibatis simpliciter poculum, sed poculum, quod bibitis, credatis esse meum sanguinem.

Accipite ergo & comedite panem quem frangitis inter uos, qui est corpus meum, Non dico aut iubeo ut uos faciatis cum panem corpus meum, sed ut edatis eum, qui iam est corpus meum. Accipite & bibite poculum, quod distribuitis inter uos, quod est sanguis meus. Non dico aut iubeo, ut uos faciatis illud poculum sanguinem meum, sed ut bibatis poculum, quod iam est sanguis meus.

Instituo & uolo, ut in commemorationem mortis meae edatis corpus meum, & bibatis sanguinem meum, ut ille panis qui edetur saepe in commemorationem mei, sit corpus meum, & illud poculum, quod saepe bibetur in commemorationem mei, sit sanguis meus.

Igitur conuenite ad hoc sanctum conuiuium, quoties uolueritis, & agite mei commemorationem, me praedicare, mutuo uos consolamini recordatione beneficiorum per me acceptorum, gratias agite de morte mea, quod corpus meum traditum sit pro uobis, & sanguis meus effusus pro uobis, in remissionem peccatorum uestrorum.

Breuius itaque haec institutio Christi, si actio, uerbum,

bum, iussio eius inspiciatur ut oportet, hoc uult, Instituit & ordinat, ut, ubi uisum fuerit, conuenientes edamus panem eius, quem ipse dicit suum corpus esse, & bibamus poculum eius, quod ipse dicit suum sanguinem esse, & edamus & bibamus in eius commemorationem.

Habes omnia, Non ludimus tropis incertis & ineptis, ut Sacramentarij, nec Sacramentum sacrificamus, & prohibemus laicis, quod Christus instituit, ut Papista, sed quia Christiani cupimus esse, nihil addentes, nihil detrahentes, atque adeo credentes esse uerum, quod Christus dicit, & facientes quod ipse iubet, inuiolatam ac integram, quemadmodum oportet, seruamus Christi institutionem.

Quod autem reclamationis ratio & sensus communis, nihil moratur Christianus, Et quod haec dicantur esse contra scripturam & articulos fidei, non potest dici nisi a Satana, etiam si dicatur per aliquem, qui sit electus, & secundum tempus erret, Nam norunt Christiani nullam scripturam, nullumque articulum fidei esse contra uerbum Christi, immo scriptura iubet eam commemorationem iudicij Dei, ut hunc Prophetam audiamus, de quo & Pater, Hunc, inquit, audite. Si non credis uerbis Christi, nullas scripturas sanctas, nullumque fidei habeas articulum.

Si iam Christus tibi scandalo est in uno aliquo loco

sui Evangelij, postea erit in omnibus, Cuius egregiam iam dudum specimen dederunt, qui publicis scriptis non vulgari iactantia iactitant, hactenus theologos loam Pauli Roman. 5. qui est de peccato (ut uocamus) originali, non recte intellexisse.

Sed uiderit ista Deus, & defendat gloriam filij sui pro nobis traditi, atque adeo defendat sese ipse filius, qui est in gloria patris sui, Defendat autem sese per consuetam misericordiam, ut confundat hominum errores, & saluet homines. Absit enim a nobis, ut aliam iudicium Dei precemur, quod sua sponte adest contemptoribus, dum interim gratuita misericordia liberat errantes & peccatores.

Porro Commemoratio Christi, id est, annuntiatio mortis eius non requirit istud externum Christi corporis & sanguinis conuiuium, Potest enim & debet fieri saepius sine hoc, Nam quando non est annunciandum Euangelium? Sed hoc conuiuium non debet fieri sine Christi commemoratione siue annuntiatione mortis eius, ne scilicet (quod saepe soleo dicere) Sacramentum absq; fide amplectamur. Sic enim non dixit Christus, Quoties mei commemorationem celebrabitis, edite &c. Sed, Quoties ederitis panem meum, & biberitis meum calicem, facite in mei commemorationem.

Absq;

2
Cuius fide
Christi
Absq; fide autem amplectuntur Sacramentum, non tam illi qui ignorant aut credere nolunt ibi esse corpus & sanguinem Domini, Quid enim talibus cum hac Christi institutione? q̄ illi qui ex uerbis Christi docti, credunt ibi esse corpus & sanguinem Domini, & tamen non fidunt morte Christi, qua ipse tradidit suum corpus, & effudit suum sanguinem pro peccatis nostris, Hoc enim fidem Christianam uocat scriptura, nempe fiduciam in Christum.

Quemadmodum Corinthij credebant quidem panem hunc Christi esse corpus Christi, & poculum hoc Christi esse sanguinem Christi, Nam Paulus dicit eis, Ut prudentibus, id est, rem intelligentibus loquor, Iudicate uos quod dico, Poculum benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? Panis quem frangimus, nonne communicatio corporis Christi est? Et tamen abusus ille in quibusdam, quod pauperes contemnebant, & confundebant suis epulis eos, qui non habebant, quod magno aliorum scandalo inebriabantur, quod dissidia erant inter eos, quod alijs edebant idolothytha cum offensione infirmorum &c. Arguit eos absq; fide, id est, absq; fiducia in Christum & Christi sanguinem, abusus esse Christi corpore & sanguine. Nam qui fidunt Christo talia facere in contemptum & confusionem & scandalum aliorum non possunt, neq; dissidia & sectas excitare aut amplecti, utantq; adhuc simi fragiles in alijs peccatores.

C 4 Itaq;

Itaq; fide accedere ad hoc Sacramentum non solum est, ut credas ibi esse corpus & sanguinem Domini, id quod uerba Christi habent, Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus, quibus uerbis non iussit neq; mentitus est, tropum autem hic tota actio, iussio & uerbum eius non admittit, sed ut fidas morte & sanguine Christi, id quod uoluit Christus dicens, Hoc facite in mei commemorationem.

Non enim uoluit frigidam aut hypocraticam inter suos discipulos commemorationem, id est, mortis suae annunciationem, sed ut quod ore annunciamus de Christo, corde crederemus esse nostrum & nobis oblatum in salutem. Hanc fiduciam nostram in se ipsum uoluit, quando hoc Sacramentum instituit in sui commemorationem.

Nam sicut non satis est, ut fides sit Christiana, si credis esse uerum & non esse mendacium, quod Deus est incarnatus ex uirgine, mortuus & resuscitatus, & sedet in dextera patris, & patrem & filium & spiritum sanctum esse unum Deum &c. Nisi in haec omnia fiduciam habeas, & tua per gratiam Dei esse credas, siquidem & diabolus illa credit, hanc autem fiduciam habere non potest.

Sic neq; hic satis est fidei Christianae, credere quod panis Christi est corpus Christi, & calix Christi est sanguis Christi, nisi utaris hic corpore & sanguine eius

eius quemadmodum ipse instituit & iussit. Non enim solum dixit, Panis est corpus meum, poculum est sanguis meus, ut facerent Papistae ex hoc Sacramento quicquid liberet, quia tam diuina continet, sed etiam addidit, Hoc facite in mei commemorationem. Hoc facite, id est, accipite & comedite panem, qui est meum corpus ex mea institutione, accipite & bibite poculum, quod est meus sanguis ex mea institutione, & hoc ipsum facite in mei commemorationem, ut habeatis & annuncietis fiduciam in mortem meam & sanguinem.

Non itaq; Christianos oportet solum scire quid sit hoc Sacramentum, sed etiam quare sit & quomodo utendum, quae omnia Christi institutio clare expressit. Nam quae non expressit, non moratur hic fides Christiana, dum alij languent circa questiones inutiles & uanas, Impium autem fuerit hic negligere, quod expressum est, quemadmodum nihilo minus impium quoq; fuerit hic adijcere siue addere, quod tam clara institutio in suis uerbis non comprehendit, Impium praeterea immutare, torquere & transsumere sacra uerba, ut non sit hic quod Christus instituit.

Itaq; hic duplitem peccatur. Alij enim negant quod hic est, Est autem hic corpus & sanguis Christi, propter Christi institutionem & uoluntatem, alij abutuntur eo, quod hic propter Christi uerba esse fatentur

C S & cre

Et credunt, quemadmodum quidam ex Corinthijs.

Ideo Paulus dixit, Probet autem seipsum homo, et sic edat et bibat de pane et calice, non quoamq; sed illo, nempe Domini, de quo Dominus pronunciauit, Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus. Probet inquam seipsum, quam fidem siue fiduciam in Christi sanguinem habeat, cuius ibi commemoratio fieri debet, ne absq; hac fiducia indigne edat et bibat sibi ad iudicium corpus et sanguinem Christi, quæ adesse propter uerbum Christi credit, interim tamen non diiudicans corpus Domini, id est, non discernens, sed cum alijs accedens, nihil magis suæ illic salutis sibi conscius, q̄ si ad alium cibum accederet, Quem contemptum in suis non fert Deus, ideo addit Paulus, Propter hoc inter uos multi imbecilles et inualidi, et dormiunt multi etc.

Tales erant quidam Corinthij, ut dixi, qui credebant esse corpus et sanguinem Domini, quod edebant et bibebant secundum Christi institutionem, tamen infidia et sectas fouebant, cum scandalo aliorum inebriabantur in sancta congregatione, et suas epulas non tantum non diuidebant cum astantibus uel assidentibus in Ecclesia siue congregatione pauperibus, sed etiam per eandem confundebant et pudefaciebant eos, qui non habebant, quæ et his similia uera fides, id est, fiducia in Christum facere non potest.

Vbi

Vbi autem communiter cœnauerant (quæ cœna à principio apud Corinthios dicebatur dominicæ cœnæ, nam ad imitationem ultimæ cœnæ Domini fiebat, admissis etiam illis, qui non habebant, quos postea auaricia et contemptus non admittebat) acceperunt corpus et sanguinem Domini cœnati, ad imitationem cœnæ dominicæ.

Hic neglectores suæ salutis, obliui sui fidei, non maiori attentione accipiebant corpus Domini et sanguinem quam præcedentem cœnam acceperant, Hoc est non diiudicare corpus Domini, utamq; non neges esse corpus Domini, quemadmodum multi missatores apud nos ipsa consuetudine tandem contemptim hoc Sacramentum tractauerunt, quam non uideo, qui conferant hosce Corinthijs illis, Nam hi quid aliud sunt q̄ missatores? Illi autem utamq; peccarent, tamen esse communicatores uolebant secundum Christi institutionem.

Pulcherrimum uero quod audimus quosdam non uulgares ex missatoribus, ubi legerunt Sacramentarium libellos, dicere, Esto, si corpus Christi esset in Sacramento, missas oporteret mutare, fateri enim cogimur abusum, tamē cur non maneret, et cur non missaremus ut hactenus, si ibi non est corpus Christi, ut quidam nunc contendunt? quid enim tunc nobis esset periculi? Vides ne tandem ipsissimam impietatem, uerendū ne aliqui nunc ea fiducia missent, Sed quis istos antea absq;

absq; fide anxios, nunc autem contemptores, liberabit
à sententia Pauli, quæ fortiter semper stabit aduersus
eos, & non sinet eos non esse perturbatis animis &
malis conscientijs, etiamsi credant ibi non esse corpus
& sanguinem Domini, Qui, inquit, manducauerit
panem hunc & biberit calicem Domini indigne, reus
erit corporis & sanguinis Domini, & iudicium sibi
manducat, non dijudicans corpus Domini. Indigebunt
ergo semper suis preparatorijs homines absq; fide, &
anxijs conscientijs laborabunt ut ante.

Quod si uerba Pauli contempserint, qua quæso fi-
ducia coram laicis simulabunt se sacrificare filium
Dei pro uiuis & defunctis, si pane & uino tantum co-
ram oculis aliorum lusitauerint? Caueant suæ ambi-
tioni & lucro, quando statuerunt contemnere deum &
homines, Nam ubi hoc laici rescuerint, qui solent
hac in parte meliores habere conscientias (non enim
hinc uel lucrum uel honorem quærum) facile abstine-
bunt à misis suorū sacerdotum, quod nanq; de qui-
busdam dicitur, cogentur suspicari de omnibus, nempe
eos non tractare corpus & sanguinem Domini, sed lu-
dere pane & uino, quanq̄ quid ad nos Sacramenta
eorum, qui Christi iusticiam siue fidem & Euangeli-
um oderunt, blasphemant & persequuntur? Hacten-
us Deus bonarū conscientiarum tulit ignorantiam,
Nunc autem quæ ignorantia reuelato per Christum
Euangelio?

Nos

Nos uero hæc dicimus illis potius, qui sacrum Chri-
sti Euangelium amplectuntur, ut tunc Corinthij, ne
sacratissimum Christi corpus edant & sanguinem bi-
bant indigne ad iudicium, facti rei corporis & sangui-
nis domini, ut tunc quidam ex Corinthijs, qui præter
ea quæ diximus, in alijs etiam non satis sancte agebant,
ut uidere licet in prima ad Corinthios Epistola.

Habes quæ sit probatio nostra, ut digne acceda-
mus, id quod commendatum nobis uoluit Dominus,
quando iussit edi & bibi in sui commemorationem,
ne scilicet Sacramentum absq; fide amplectamur.

Sed dicis. Si non confiditis in uestris consecratio-
nibus, & flatu & fetido anhelitu (quid blasphe-
miarum non cogimur hic audire?) cur uerba
Christi, Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus,
super panem & uinum profertis incantaturi (sic blas-
phematur) Deum in panem, ut faciatis aliquem De-
um impanatum?

Respondeo, Relinquo blasphemis suas blasphemias,
ut blasphement adhuc amplius, si Christo Domino
nostro ita uisum est, ut ista patiatur, qui est iudex ui-
uorum & mortuorum, Et respondeo ad hoc solū quod
queritur, propter illos fratres, qui forte hæc desyre-
rant, Nam coram illis, qui audire nolunt aliud q̄ quod
sibi conceperunt ut pariant, prudentius atq; adeo
magis

magis pium fuerit tacere quam dicere.

Nos non solum repetimus super panem & uinum ista uerba Christi, Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus, sed totam Christi institutionem siue ordinationem hoc modo.

Dominus noster Iesus Christus in ea nocte qua tradebatur, accepit panem, gratias agens, fregit & dedit discipulis suis dicens, Accipite, comedite, hoc est corpus meum, quod pro uobis datur, Hoc facite in mei commemorationem. Similiter accepto postquam canatum est calice, gratias egit, & dedit illis dicens, Bibite ex hoc omnes, Hic calix nouum Testamentum est in meo sanguine, qui pro uobis effunditur in remissionem peccatorum, Hoc facite quotiescumque biberitis in mei commemorationem.

In summo Christo
Ista omnia repetimus super panem & poculum, ut privilegium principis nostri, ut institutionem & ordinationem Domini nostri Iesu Christi, usque ad mundi finem apud fideles duraturam, id est, ut Paulus ait, donec ipse ueniat,

panis d.
Non enim conuenientes cupimus hic edere uulgarem panem, aut bibere uulgare poculum, sed eum panem, quem Paulus uocat panem Domini, id est, Christi, & illud poculum, quod Paulus uocat poculum Domini, Hoc est, illum panem & illud poculum, quod Christus instituit edendum & bibendum in sui commemorationem.

Is panis

Is panis & id poculum antea erat uulgaris panis & uulgare poculum, & sine periculo, aut si uauis sine discrimine licebat uesci quibuslibet, siue dignis siue indignis, etiam canibus & porcis, modo non hoc curarent homines in creatoris ignominiam, Vbi autem iste panis & istud poculum ad institutionem Christi uenerit, ut conuenientes edamus & bibamus in Christi commemorationem, iam non est uulgare panis, sed panis Domini, non uulgare poculum, sed poculum Domini, & usque adeo Domini panis est & Domini poculum, non quemadmodum Domini est terra & plenitudo eius, sed singulari modo, ut quisquis ederit panem hunc & biberit calicem Domini indigne reus fiat corporis & sanguinis Domini, & iudicium sibi manducet.

con sum uulgari
Quando Sacramentarij hæc non negant, hic obiter interrogo eos, unde, quo halitu, quibus uerbis, qua imitatione (omitto alias blasphemias) fiat panis & poculum eorum in Christi commemoratione tam sanctum, ut indigne utens iudicium sibi sumat & fiat reus corporis & sanguinis Domini, utamque negent ibi esse corpus & sanguinem domini? Quod si dixerint, id quod non dubito saniores dicturos, quod ob Christi institutionem hoc fiat, gratias agemus eis, modo sinant etiam nobis de tota hac causa sic respondere.

Hic addo ut sanctitatem & utilitatem huius panis & poculi domini nostri Iesu Christi ex uerbis Pauli exprimam,

nam, etiam inuitis aduersarijs, qui clamant nullā hic esse carnis utilitatē. Si quisquis edit & bibit indigne, reus fit corporis & sanguinis Domini, consequitur q̄ quisquis edit & bibit digne, particeps fiat corporis & sanguinis Domini. Iam uero quis ignorat, quanta sit maiestas, quanta sanctitas corporis & sanguinis Domini, cuius interim, qui digne uescitur hoc pane & hoc poculo fit particeps? Atq; hoc ipsum Paulus dicit, Panis quem frangimus nonne participatio corporis Domini est? Calix benedictionis aut benedicimus, nonne participatio sanguinis Christi est? Item. Si quis quis edit & bibit indigne iudicium sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus domini, consequitur, q̄ quisquis edit & bibit digne, salutem sibi manducat & bibit, dijudicans uel discernens corpus Domini.

Ne uero ignores, quam participationem siue communicationem corporis & sanguinis Christi dicat, & praeterea dijudicationem (quia & haec uideo deprauari) interroga Christi institutionem, quae dicit, Panis iste meus est corpus meum, poculum istud meum est sanguis meus, Illud pro uobis traditur siue frangitur, hic pro uobis effunditur in remissionem peccatorum.

Vnde nobis haec omnia? Ex institutione Christi, Ipse sic instituit, ordinauit, uoluit, Christiani hanc institutionem amplectuntur & gratias agunt.

Stultum

Stultum igitur fuerit haec uerba institutionis Christi omittere, impium his non considerare, nam sine his quid quaeso in pane & poculo quaereremus?

Haec uerba sacrae Christi institutionis publice recitat minister nostrae Ecclesiae super panem & poculum, super mensam siue altare posita, nullo eis adhibito flatu (ut irridemur) quando agnoscit nihil hic sua fieri uirtute, sed omnia uirtute institutionis & ordinationis Christi.

Primum, ut agnoscant communicaturi (qui nisi adfuerint, nulla unquam nobis missa est) agnoscat & nostra Ecclesia in Christo ad Euangelium & orationem & hymnos congregata, quid erga hoc Sacramentum sit nobis uel faciendum uel credendum, Nihil enim hic praesumunt Christiani, quod Christus neque iubet neque dicit, sicut nec aliquid eorum, quae iubet & dicit contemnere possunt. Quid iubet? Accipite, comedite & bibite in mei commemorationem. Quid dicit siue pronunciat? Hoc est corpus meum &c. Hic est sanguis meus &c. Illud facere debemus, hoc credere, Vtrumque uero est opus Dei. Nam eius uirtute credimus uerbis Christi, & si ipse gratiam dederit, faciemus quod hic iubet, id est, digne uescemur pane & poculo Christi, hoc est, uescemur quemadmodum iubet & instituit, in eius commemorationem, certe non hypocritam, ut supra diximus.

D Deinde

Deinde non occultamus institutionis Christi uerba, ut etiam tandem discant Papistæ, non esse abutendum Sacramento, et missatores resipiscant, redeuntes à missis impijs ad unitatem sanctæ matris Ecclesiæ, quæ nihil aliud potest suscipere ad salutem quam Euangelium Christi. Nihil eos tam remoratur ab Euangelio quàm illa missæ, ex quibus pro sua ambitione et questu aut saltem superstitione fecerunt sacrificium et satisfactorium opus pro uiuis et defunctis, quando ipsi edunt et bibunt, permittentes tantum alijs ut uideant, non ut edant et bibant, immo etiam hereticos iudicantes, si qui bibere uoluerint secundum Christi institutionem. Nam quod dicunt laicos debere audire missam, ne fieri quidem potest secundum eos, Quiduis enim in eorum missis potius audies, quàm ea quæ uere missa sunt, id est, institutionem Christi, quam data opera ita pronunciant, ut ne ipsi quidem sese exaudiant, ad hoc solum, ut alij non audiant. Discant itaque hoc Sacramentum nihil aliud esse posse, quàm quod Christus uoluit et instituit, id quod ex eius uerbis uidere et intelligere oportet, Nam quicquid aliud inde feceris, erroneum est, ficticium et impium. Nihil est ut hic credas nobis, crede institutioni Christi, quæ nihil habet obscuri, si ueritatem quaesieris. Hactenus scæde erratum est in huius Sacramenti abusu, nunc uero reuelato errore, necesse est, ut mala conscientia missator maneat, et non est excusandi locus, Fucum coram hominibus

hominibus tua impietas pratendere potest, sed uide etiam atque etiam quid tibi tua conscientia respondeat coram Deo.

Præterea publice hodie Ecclesia Christi debet audire hæc institutionis Christi uerba, ne perpetuo ad rauim usque clamitent contra nos Sacramentarij, quo iussu, qua uirtute facitis uos corpus Christi? Taceo hic eorum blasphemias. Nam contra eos perpetuo pro nobis respondet hæc institutio, et usque ad finem mundi duratura Christi ordinatio, quæ efficit, ut sit ibi nobis ad edendum et bibendum corpus et sanguis Christi, non postulat aut iubet, ut nos corpus et sanguinem Christi faciamus, quod datur nobis grato animo, et exultante gratiarum actione accipimus, non presumimus facere, quod, quia non iubetur à Christo, facere non possumus. Dicit enim, Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus, non dicit, Facite meum corpus, Facite meum sanguinem. Non factores sui corporis et sanguinis uoluit, sed communicatores, id est, ut ederemus dominicum corpus et sanguinem biberemus in eius commemorationem, quod corpus et quem sanguinem nobis ipse per suam institutionem daret, non nobis ipsi faceremus.

Hic repete mihi si libet à condito mundo ipsa opera creationis Dei, et quicquid Deus unquam instituit siue ordinauit. Dic mihi

D 2 quando

quando unquam sue ordinationi ipse defuit? ut non dicam, quando unquam non fuit uerum, quod aeterna ueritas pronunciauit? Siquidem ipse dixit & facta sunt, ipse mandauit & creata sunt, Et, In aeternum domine uerbum tuum permanet in caelo, in generationem & generationem ueritas tua, fundasti terram & permanet, Iudicijs tuis permanserunt usque nunc, quoniam omnia seruiunt tibi.

Ita Deus suo uerbo creauit lucem, & instituit ut quotidie oriatur, & non potest non oriri, diuisit eam a tenebris, & in aeternum non potest esse consortium luci cum tenebris. Quare? quia Deus semel ita suo uerbo instituit & ordinauit, cui ordinationi & institutioni ipse nunquam potest deesse, Non enim potest se negare aeterna ueritas.

Quod semel creauit Deus & instituit, ita manet, ita suis temporibus agitur & operatur, efficaciamque habet, quemadmodum primum suo uerbo iussit, tam diu persistit quam diu ipse tunc uoluit, quando instituit & ordinauit. Omnia secundum uerbum eius & perstant & cadunt, quemadmodum dixit, Cunctis diebus terrae seminis & aestus, frigus & aestus, aestas & hiems, nox & dies non requiescent.

Quis hodie facit homines & animalia? quis multiplicat fruges? atque adeo quis exuscitat eas ipsas iam in terra perditas & mortuas? quis dat arboribus co-

mas

mas & fructus? quis omnibus his, ut ex se producant sibi similia? Nonne Dei institutio, quae iussit haec omnia habere semen in semetipsis?

Cuius uerbo & uirtute primum omnia condita sunt, eius uerbo & institutione hodie nascuntur, reguntur, persistunt, quemadmodum & quae diu sua institutione eis praescripsit. Efficaciam enim suam habent omnia quae creata sunt ex uerbo Dei creantis & ita instituentis, ut uideas Deum & eius uerbum nunquam esse ociosum, nunquam non efficere, quodque suis temporibus & suo modo, quod semel dixit, ut Christus ait, Pater meus usque modo operatur & ego operor.

Itaque fidelis homo, dum in res intendit, miratur omnia, miratur annum solis rearsum, miratur menstruos lunae defectus, uarietatem stellarum, uicissitudines temporum, diuersas naturas animalium, regionum, rerum omnium, miratur aquam sitim extinguere, panem nutrire, boues non homines sceno & paleis uictitare, non posse homines in aqua, nec pisces extra aquam uiuere, aues in aere ferri, Breuiter, fidelis homo uidet totum mundum, quocumque se uertit, meris mirandis esse plenum, etiam seipsum & totam suam uitam nihil aliud esse quam Dei miracula, quemadmodum cecinit Psalmista dicens, Delectasti me domine in opere tuo, & in opere manuum tuarum exultabo, Quam magnificata sunt opera tua domine, nimis profunda facta sunt cogitati-

D

3 ones

ones tuæ, ut insipiens non cognoscet, & stultus non intelliget hoc.

Atq; in his omnibus fidelis homo agnoscit inuisibilis Dei æternam potentiam, sapientiam, bonitatem, itemq; providentiam erga ea quæ condidit, breuiter infinitam maiestatem & diuinitatem, Rom. 1. Et tandem ubi per hæc, ut per scalam & gradus, fides ingressa fuerit in sanctuarium Dei, desinit mirari dicens, Non mirum, quod hæc tam miranda obijciuntur oculis nostris, quia hæc omnia facit omnipotens & æternum dei uerbu, per quod omnia facta sunt, & sine ipso factum est nihil quod factum est. In Deo non sunt mirabilia, sunt autem omnia quæ suo uerbo facit & conseruat mirabilia in oculis nostris, quemadmodum & de Christo primum reprobato, mox glorificato dicitur, A domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris.

Nonne hoc loco uides, quæ latus campus hic sit mihi apertus dicendi de creatione & providentia Dei & de omnibus quæ unquam dixit Deus. Omnia enim fecit & facit suo uerbo, quæcunq; fecit unquam & nunc facit. Si liberet multa scribere, certe hic agerem non uanis tropis, id est, talibus qui suo loco non ponuntur, non anxie conquisitis & in alienum sensum detortis scripturis, non etiam mendacijs deformarem ueteres auctores, ut hæc omnia uideo iam in causa Sacramentaria satis

taria satis inique fieri, Satan enim querit, ut ipse adoretur, non Dei uerbum, sub specie tamen uerbi Dei, ut uides eius morem, Matth. 4. Sed agerem certissimis scripturis, certissimis & palpabilibus, siue etiam uisibilibus argumentis, Verum indicasse & occasionem sapienti dedisse nunc satis est, non solum breuitatis gratia, sed etiam ut ingenue fatear, quod non satis idoneus sum ad hæc Dei miracula describenda, & quis satis potest?

Tantum nunc indicatum uolumus, quod fideles sciunt omnipotenti & æterno dei uerbo hæc fieri, æterna ueritas deus est & æterna potentia, suo uerbo & institutioni abesse non potest, quin semper faciat unumquodq; suo tempore & suo modo, quod semel suo uerbo condidit, & suo tempore futurum instituit, Tolle efficaciam illam uerbi a creaturis, & protinus nihil sunt.

Quod si Deus nunquam suæ ordinationi & institutioni defuit, si nunquam non uerum fuit quod ipse dixit, si nunquam non præstitit quod suo uerbo uoluit, cur impie hæc sola Christi institutio uellicatur, in mille formas dilaniatur, breuiter, negatur ne sit hoc quod Christus instituit? Tropis illis non est hic locus, si totam hanc institutionem attendas, & non per particulas nunc hoc nunc illud rapias, tuoque sensu confundas, contempta instituentis uoluntate.

D 4 An non

An non Christus est deus? an non ipse est uerbu illud
eternum & omnipotens, quo condita sunt omnia, quo
omnia perdurant & conseruantur? Is dicit, Panis que
porrigo, quem edi uolo in mei commemorationem, est
corpus meum, instituo, ut sic quoties uolueritis edatis
corpus meum, Poculum quod porrigo, quem bibi uolo
in mei commemorationem, est sanguis meus, qui pro
uobis funditur in remissionem peccatorum, Instituo, ut
sic quoties uolueritis bibatis meum sanguinem, auto=
ritate mea iusionis & institutionis. Et tu impie blas=
phemas, unde accipietis corpus & sanguinem Christi?
Quis dedit uobis potestatem, ut faciatis corpus Christi
(taceo iam de deo impanato) putas ne quod ad fa=
dam oris exhalationem cuiuscuq; uel ad nutum &
uoluntatem etiam scortatoris, adulteri, usurarij Chri=
stus sursum atq; deorsum feratur, & sedem sue maie=
statis deserat? Impie & blasphemus, quid tibi cum no=
mine Christiano, qui uerbum Christi deseris? & nolens
uidere quid instituerit, & respicis in ea solum, que
rationi tue uidentur absurda & impossibilia, uerbo
Christi rationem tuam opponis, egregie scilicet &
Christiane.

Inde sic argumentaris, Vos non potestis facere cor=
pus Christi, esto, boni facerent, qui facerent scortato=
res? Ergo panis Christi non est corpus Christi? Co=
gimur hodie ferre istas rhetoriationes Satanae nimis
impudentes. Ergo o blasphemator Satan, & impia tu
blasphemia

blasphemia, quia nos non facimus corpus Christi, non
erit uerum quod Christus dicit, Panis est corpus me=
um, Poculum est sanguis meus? neq; ullo modo possi=
bile est, ut fiat quod Christus iubet & instituit, nempe
ut accipiamus, & edamus & bibamus eius corpus &
sanguinem? Sic oportet impingere, & ad lapidem
offensionis incurrere, qui sua somnia inuulgare amant
relicto certissimo Christi uerbo.

Iam uero etiam respice, si placet in omnia precep=
ta Dei, quando queso unq; non adfuit Deus suo pre=
cepto, hoc est, illic ubi uere uidet esse suum pre=
ceptum?

Nolo mihi obijcias, q; Deus precepit quidem ho=
minibus, sed homines non prestant, nam uel contem=
nunt preceptum uel facere non possunt, ut quando per
totum decalogum exigitur mundum cor, quod sit ab
omni concupiscentia alienum, & non sua, sed que Dei
& q; aliorum sunt querat. Talibus quidem preceptu
est, sed non est apud eos Dei preceptum, id est, uel
non suscipiunt illud, ut contemptores, uel non intelli=
gunt neq; amant, ut hypocrite, qui licet conentur, ta=
men quia absque fide sunt, non prestant quod lex exi=
git, Non enim potest arbor mala fructus bonos face=
re.

Apud eos dico esse Dei preceptum, qui illud, ut=
cunque adhuc fragiles, utaque adhuc non satis ag=
D s noscant se

noscant se prestare, tamen amant & amplectuntur ut domini sui atq; adeo ut patris sui non contemnunt, neq; hypocrisin legis solū sequuntur ut pharisaica iusticia, De quibus in Psal. dicitur, Beatus uir qui timet dominum, in mandatis eius uolet nimis. Hi sunt fideles, arbores bonæ, quorum Deus corda immutauit per spiritum suum, ut uelint & ament Dei præcepta, De quibus & Christus sic dicit, Qui habet præcepta mea & seruat ea, is est qui diligit me.

Dic mihi itaq; quando unquam non adfuit Deus suo præcepto, hoc est illic, ubi uere suum præceptum esse uidet? Ipse iubet quæ carni sunt impossibilia, & suis fidelibus adest, faciens per eos quod ipsi per suam naturam absq; spiritu facere non possent, & non impu-
tans filiis dilectis quicquid non fit, aut non satis fit, ut sic tota lex & omnia Dei præcepta in illis compleantur, satisfaciuntibus ita per gratiam legi & uoluntati præcipientis Dei, ut lex amplius ab eis exigere non possit, atq; adeo ut eis lex abrogata sit & mortua, dum patris sui uoluntati obtemperant absq; legis præcepto. Interim uero omneis alij homines spiritum Dei non habentes, sub legis transgressione & damnatione agunt, siue bene siue male agere uideantur, Quicquid enim (ut Paulus ait) non est ex fide, peccatum est, Arboris enim malæ, id est, infidelis hominis, malus fructus est, etiamsi iures Angelicam hanc esse uitam.

Cor

Cor enim mundum siue fidele uult Deus, sine quo omnia etiam in specie optima sunt immunda coram Deo & mera hypocrisis, Quis dabit cor mundum, nisi ille cui dicitur, Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in uisceribus meis? Tale cor fide purificatum amat legem siue præcepta Dei, ergo ibi Deus adest, ut fiant quæ lex exigit, fiant inquam sine lege, id est, sine legis exactione, per quam exactionem illa nunquam fieri possunt, Non enim (ut uulgo uere dicitur) placent Deo coacta seruitia. Hæc est gratia & libertas Christianorum in spiritu, per Iesum Christum dominum nostrum.

Si igitur Deus nunquam inter fideles suos, quibus ipse sua gratia dedit fidem & cor amans legis siue præceptorum, defuit suo præcepto siue iussioni, etiam ubi iussit quæ homini infideli sunt impossibilia, Omnia enim sunt posibilia non carnali sed credenti. Cur tibi Christus uidetur hic suæ iussioni, quam in hac sacra institutione uides, deesse?

Non iubet hic omnibus hominibus ut in decalogo, sed discipulis suis, qui amplectuntur uel amplecti uidentur Euangelium, id est, Ecclesia suæ in terris, Hi non contemnunt inuisionem, alioqui discipuli non uellent uel esse uel haberi. Non iubet impossibilia, sed etiam uel carni iucunda, quanto magis spiritui, ubi ex uerbo Dei talia placere Deo certi sumus? Iubet, Accipite,

accipimus,

accipimus, Edite, bibite, edimus, bibimus. Quid facilius, quid iuandius, quam uerbo Dei inuitari ad ea, quae uultro petunt & sibi negari dolent esurientes & sitientes? Et hic esurientes & sitientes iusticiam uult Dominus, non illos qui ita spiritu mendaciter abundant, ut contemnant Christi institutionem. Praeterea iubet ut haec faciamus in sui commemorationem. Quid quaeso dulcius, quam ad conuiuium tam optandum conuenire tam iucundos sodales & conuiuas, nempe tales qui se fratres esse agnoscunt, & capiunt alij pro alijs mori, aut uel agnoscent se hoc debere, utcumque adhuc per fragilitatem carnis cupere non possint? Quis non uellet tales conuiuas, utcumque nihil aliud, tamen optime alios de alijs sentientes? Ad haec, Quid magis consolatione plenum, quid magis salutiferum contra omnem tentationem, contra omnem angustiam & inopiam siue necessitatem, contra omnia peccata, contra traditiones humanas & doctrinas demoniorum, contra pseudotheologos & pseudochristianos, contra omnes spiritus erroris & omnes spirituales nequitias, inter Christianos audiri potest, quam Domini commemoratio, id est mortis Christi annuntiatio? Nam pater misericordiarum deus, qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non cum illo nobis omnia donabit? Quis nunc accusabit aduersus electos dei &c?

Quando igitur tam sanum, tam suauiter instituitur a Christo

Christo conuiuium, quando tam fideles & iucundi sunt socij siue conuiuae, quando tam utilis, sancta & salutifera inter ipsos est collatio, nempe illa commemoratio, qua Christiani nihil sanctius habent, per quam omnia eis sancta sunt, per quam agnoscunt se filios esse Dei, & Deum patrem suum, quando hic nihil difficile, sed omnia appetenda etiam, quis Christianorum hic non uellet facere, aut non faceret, quae hic iubentur? Soli contemptores sibi desunt qui uel nunquam accedunt uel accedendo non faciunt quod Christus iussit, etiam si dominica Sacramenta edant & bibant.

Quod si conuenimus ad sacram hanc Christi institutionem, ut nos discipuli Euangelij faciamus, quod magister noster Christus instituit, Dic quaeso, an hic Christus possit deesse & suae institutioni & desiderio obsequentium discipulorum? Credimus institutionem hanc esse bonam, sanctam, ueram, nobisque salutiferam, in qua Christus nobis praedicat & promittit & dat remissionem peccatorum, nempe precium illud pro nobis in cruce oblatum Deo patri in odorem suauitatis, ideoque conuenimus ad hanc institutionem & obsequimur instituentis uoluntati, qui iubet dicens, Hoc facite in mei commemorationem, Hoc facite, id est, accipite, edite, hoc est corpus meum, accipite, bibite, hic est sanguis meus.

Voluntus ibi edere corpus Domini & bibere sanguinem

guinem eius, non aduentione aliqua humana, non
nostra temeritate & presumptione, sed Christi domi-
ni nostri & unici magistri institutione & iussione, qui
dixit, Hic panis meus est corpus meum, accipite, come-
dite meum corpus quod pro uobis frangitur. Hoc pocu-
lum meum est sanguis meus, qui pro uobis funditur in
remissionem peccatorum, accipite, bibite meum sangui-
nem &c. Nam uolo ut hoc faciatis, modo faciatis in
mei commemorationem, usq; ad finem mundi, hoc est,
donec ueniam, quoties interim uolueritis.

Huic itaq; nostro conuentui, nostrae huic uoluntati
& desiderio adest Christus, institutor atq; adeo dona-
tor huius muneris, & per uerbum suum, cui non po-
test in hac institutione deesse, dat nobis corpus suum
& sanguinem suum, Non enim nostrum uerbum est,
Panis est corpus meum, Poculum est sanguis meus,
sed eius qui omnipotenti suo uerbo omnia creauit, om-
nia quae uoluit fecit.

Atq; ita licet uisibiliter per manum ministri, tamen
inuisibiliter ex manu Christi uirtute & efficacia in-
stitutionis siue uerbi eius, accipimus corpus Christi &
eius sanguinem. An non & ipse promisit, Vbi duo uel
tres fuerint congregati in nomine meo, illic ero in me-
dio eorum? An non in nomine Christi congregamur,
quando conuenimus ad eius institutionem, credentes
quod ipse dixit, & facientes quod ipse iussit? Est er-
go ibi

ergo ibi, & dat nobis suum corpus & sanguinem, ita
conseruans suam institutionem & uerbi sui ueritatem.

Non potest fallere eius institutio, non potest men-
dax esse eius uerbum, non possunt errare discipuli uer-
bum eius sequentes, ne tu perpetuo dicas, unde accipi-
etis corpus Christi? forte ad alicuius scortatoris ma-
nus respicitis, ut faciat uobis corpus Christi &c.

Omitto reliquas blasphemias, quae satis indicant,
quid fidei habeas, & tamen requiris in nobis modesti-
am, quando errores detegimus, mendaces spiritus ac-
cusamus, scripturas siue uerba Christi candidè propo-
nimus, faciat deus, ut simus uere modesti, ut modestia
nostra nota sit omnibus hominibus, prohibeat uero
Christi in nos benignitas, ne ficta modestia alios deci-
piamus, & a ueritate uerbi Dei auertamus. Talem
enim modestiam nunc in quibusdam uidemus, quae ta-
men se ueram modestiam iactitat, cordato homini uel
ipsa iactantia satis indicans quae sit. Satis haecenus de-
cepti sumus composita ad fraudem humilitate, ac re-
ligione Angelica, illorum, qui frustra inflati erant ani-
mo in ijs, quae non uidebant, id est, somniabant sibi
tantum aut etiam fingeant, non autem intelligebant
uel ipsi credebant, aut certe uel dubitabant, quos ca-
uere docet Paulus Coll. 2. ut non opus sit eosdem licet
alia specie rursus suscipere, inflatos frustra in ijs,

qua

quæ non uiderunt, id est, de quibus ipsi egregie incerti sunt.

Igitur ne quid impossibile causeris in hac sacra Christi iussione, quæ dicit, Edite meum corpus, bibite meum sanguinem, & dicas, facillimum quidem fuerit accipere panem, accipere poculum, & edere ac bibere, Deinde uandus quoque est iste Christianus conueniens, & salutifera Christi commemoratio, appetenda quidem hæc omnia, maxime Christo ita instituyente, sed quis faciet, aut qui fiet, ut iste panis sit corpus Christi, & poculum sit eius sanguis, ut respondeam Christi iussioni, qua iubet, ut hic edam corpus eius & bibam eius sanguinem? Videtur mihi impossibilia iu- bere, ut hic edam & bibam, quæ hic esse non possunt, quæ nemo facere potest, & si quid merito ministro- rum tribueretur (id quod fides Christiana non nouit) tamen quis me certiore faceret de merito ministri, ut scirem quando ibi esset corpus Christi? Ne inquam ita causeris & ista dicas, Christus uera Dei sapientia, qui nouit quid, quibus, quomodo instituat & iubeat aliquid, exhibet ipse per sese suum corpus & suum sanguinem dicens, Panis est corpus meum, poculum est sanguis meus, non iubeo ut faciatis corpus meum & sanguinem, sed ut corpus meum edatis & sanguinem meum bibatis.

Ne uero horrorem causeris, ubi edendum præcipitur corpus

pitur corpus humanum, & bibendus sanguis, panem suum corpus, & poculum suum sanguinem facit in hac sacra institutione, ut non magis hic horreat sensus tuus, quæ ad panem & poculum, ubi esuris & sitis, utque tam facile sit edere corpus Christi, & bibere eius sanguinem, quæ facile est edere panem & bibere poculum, modo interim non cum contemptu & oscitantia accedas, sed diiudices corpus & sanguinem domini. Nam idem panis quem hic edis, est corpus eius, & poculum idem quod hic bibis est sanguis eius, propter eius institutionem.

Quando igitur Christus instituit & iubet, ut edamus & bibamus hic eius corpus & sanguinem, in sui commemorationem, quis Christianorum hoc negligendum duceret? quando tam facilia, tam iucunda, tam salutifera, tam etiam expectanda præcipiuntur, quis nisi plane impius contemnere possit, uel causari difficultatem uel etiam impossibilitatem, maxime quando tantum præcipit, ut faciamus quoties nos uouerimus?

Quando autem nos discipuli Christi non negligimus, non contemnimus, sed conuenimus ad sacram Christi institutionem facturi & accepturi quod Christus instituit, putas Christum non adesse suis discipulis, id est, suæ Ecclesiæ ita congregatæ, quæ non cupit doceri, nisi ex Christo magistro? putas illic non curaturum, ut uerum fiat, quod ipse instituit? putas passu-

E rum ut

rum ut mendax sit eius institutio, & fallat quotquot eam susceperint. Impij fuerimus satis manifeste & non discipuli Christi, si talia de sanctissima eius institutione suspicati fuerimus.

Infirmi Si qui autem se infirmos dixerint, q. talia capere nondū possint, illi interim non fiant orbis magistri non perturbent bonas conscientias, quas certo dei uerbo in sua opinione confirmare non possūt, & libētē non pro impijs, sed pro infirmis fratribus habebimus modo suā ignorantiam non ament, qui est contemptus uerbi Dei.

Quod si Deus suae ordinationi nunq̄ defuit, q. si obsequentibus semper praesto fuit, huic soli ordinationi & iussioni ita scilicet defuturus est, ut impossibile sit fieri, quod ipse uoluit, ordinauit & instituit, ut mendacij rea fiat aeterna ueritas, per quam omnia condita sunt, & ita conseruantur, quemadmodum ipsa instituit & ordinauit?

uim **H**ic adde si uis omnia Dei miracula, quae unq̄ per homines fieri iussit, obsecuti sunt sancti iuuenti Deo, & fecerunt quaedam humanitas, quae homines facere possunt, secundum Dei iussionem, ideo adsuit Deus faciens illa, quae ut homines, ipsi sancti facere non potuissent.

Ita caput nostrum Christus dominus, qui omnia fecit iussu patris, sanaturus hominem a natiuitate caecam, ex-puit in terram, & fecit lutum ex spūto, & liniuit lutum super oculos caeci, Haec omnia ut homo facere potuit,

tuit, agnoscens tamen haec Deum uelle, Quam risifertur hic illi, qui nihil habent in ore de sacratissimis Christi Sacramentis, q̄ contemptum & blasphemias, & dixissent.

Quid talia ad rem? quid haec profunt? haec scilicet uirtutem habent aperiendi oculos? non potest Christus aperire oculos sine his tam stultis & plane ridiculis, ne dicamus, sine his omnino non necessarijs? Vbi uero satis ista linitione lusum est, quid opus est caecum mittere ad piscinā Siloae, ut ibi lauet? scilicet, illa aqua, ubi lutū illud abluerit, auferet simul cecitatem, & reddet caeco lumen? non posset hoc Albijs & Rhenujs & Odera, atq; adeo totum mare. Si non sanatur tangente Christo, quomodo sanabitur amissus a Christo?

Ita necesse est ut dicant, qui in res istas tantū intuentur, relicto dei uerbo, cui talia placēt, q. per talia uult operari, q. nouit sic expedire caeco, sic expedire alijs, ad quos fama haec peruenit, ut non dicā, q. interim sic ei placet stultā facere sapientiā nostram, quo discimus ipsius sequi uoluntate, non illud q. nobis rectū uidetur, Abscondit se a sapientibus, & reuelat se paruulis, id est, stultis, qui haec magni faciunt propter eius uerbum, quae mundus non potest non stulti iudicare, de quibus mundus potius disputare uult q̄ credere.

Sed reuertor. Haec inquam interim caeco Christus facere potuit omnia ut homo, q̄ & alius homo facere potuisset, ceterū uisum reddidit ut deus & omnipotēs

E 2 dei uerbum,

uerbum, Sic hic. Accipit panem, gratias agit, frangit, dat discipulis suis, Humana tantum haecenus uideo, deinde ut magister iubet, Accipite, edite, hoc facite in mei commemorationem. Vt Deus uero & aeternum atque omnipotens Dei uerbum dicit, Hoc est corpus meum, quod instituo & iubeo edi, Hic uel hoc est sanguis meus, quem instituo & iubeo bibi in mei commemorationem, quae uerba si non dixisset, nihil esset quod diffentiremus a Sacramentarijs, quorum figmentum non stabit, nisi illis uerbis ex eo contextu institutionis Christi sublati.

Egregie quidam fertur nuper alicubi douisse, quod in cena quidem illa ultima, panis fuerit corpus Christi, sed non nunc, homo scilicet insigniter in hac re stupidus, licet loquax, quod non uidet uel sic totam omnium Sacramentariorum causam perire, quam sese defendere putat. Adeo constitutum est illis fingere potius quid uis, ut persuadeant alijs, quando sibi persuadere non possunt ne cogantur ab opinione sua, quam defendendam susceperunt, recedere.

Sed quid ego haec dico de Christo, quin potius inuenimur caecum? Hoc enim propius accedit ad id quod dicimus. Caecus iste ita super oalorum sedem sputo litus, habet hoc uerbum Christi, quod dabit ei oculos & lumen, Vade, laua in piscina Siloae, ad quid? nempe ut uideas, neque aliter debuit intelligere caecus. Non dixit

ei, Vade

ei, Vade, fac tibi oculos, aut da illi aquae hanc uirtutem, ut quando ea te lauas, det tibi uisum. Abijt ergo & fecit quae iussus erat, & redijt uidens, Abire potuit, lauare potuit, & dum haec secundum uerbum Christi credulus facit quae potest, adest suo uerbo Christus, & diuina uirtute dat ei uisum, non enim potest suo uerbo abesse.

Sic nos habemus hic Christi uerbum, nempe eius institutionem & iusionem, Hoc facite, id est, edite panem qui est meum corpus, bibite poculum quod est meus sanguis, in mei commemorationem. Non dicit, Facite meum corpus, sed hoc est meum corpus, quod edi iubeo. Ergo obediens conuenire possumus, accipere, edere & bibere possumus, Vt autem edamus eius corpus, & bibamus eius sanguinem, ipse, qui non potest suam institutionem facere aut permittere fieri mendacem, tam certo curabit, quam certo curauit, ut hic caecus obsequens eius uerbo uideret.

Neque Ananias missus ad Paulum, ut imponeret ei manus, quo uisum reciperet, aliud humanitus potuit quam manus imponere, caeterum Deus suo uerbo adfuit & uisum Paulo reddidit. Et hic quid manus impositio ad oalorum instaurationem? quid alibi ad egrotorum curationem? immo quid alibi ad spiritus sancti donationem? Christus ita uoluit, qui ut ita fieret iusserat, ergo non fieri non potuit, quod per talia futurum dixerat.

E 3 Adest

Adest suo uerbo, & facit etiam per homines, quæ homines per sese facere non possunt, quantacumq; etiam sanctitate præpelleant. Et in hac solum causa scilicet disceptamus, num fieri possit ab hominibus, mandatum Christi suscipientibus, & uerbum eius uerum esse credentibus, quod ipse eos facere iubet, nempe ut edant corpus eius bibantq; eius sanguinem, in hac sacra ut uocamus Eucharistia?

An non Christianum est facere quod Christus iubet? Et si negligit sepe homo quod iubetur, an non Christianum est, credere esse uerum quod Christus dicit? Edimus panem Domini, & bibimus calicem domini, & commemoramus Christum dominum nostrum, predicantes eius corpus traditum pro nobis in mortem, & sanguinem effusum pro nobis in remissionem peccatorum, quia ipse exhibens panem & poculam dicit, Accipite, comedite, bibite in mei commemoracionem. Et credimus panem, quem ita iussu & institutione Christi edimus, & poculum, quod ita bibimus, esse corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi, quia ipse offerens nobis panem dicit, Hoc est corpus meum, quod pro uobis frangitur, & offerens nobis poculum dicit, Hic est sanguis meus &c. Non itaq; uane credimus aut ex superstitione siue mentis humane somnio, sed ex uerbo Christi, Cælum & terra transibunt, non Christi uerba.

Quid

Quid ergo hic accusantur homines, uel de impossibilitate uel de peccatis, ubi Christus necessario adest, & præstat sui uerbi siue institutionis suæ ueritatem?

Accipe & aliud si uis ex ueteri historia, *Mosis* dicitur Exodi. 17. Antecede populum, & sume te-^uam de senioribus Israel, & uirgam qua perasisti mare tolle in manum tuam, & uade. En ego stabo ibi coram te supra petram Horeb, percutiesque petram, & exibit ex ea aqua ut bibat populus. Et addit hystoria sic, Fecit Moses ita coram senioribus Israel. Et Numeri. xx. Tolle uirgam & congrega populum tu & Aaron frater tuus, & loquimini ad petram coram eis, & illa dabit aquas. Cumque eduxeris aquam de petra, bibet omnis multitudo & iumenta eius. Tulit igitur Moses uirgam quæ erat in conspectu Domini, sicut præceperat ei, congregata multitudine ante petram &c.

Quam impossibilia, q̄ absurda, q̄ ridenda (quæ procul dubio uel in occulto riserunt impij & increduli) audit hic Moses, quando interim est in præsentaneo periculo, ne lapidet cum populus. Nonne hic Moses desperasset, si relicto dei uerbo, quo deus promisit aquam ex petra, in res ipsas solum respexisset? Certe

E 4 dixisset,

dixisset, Ex pumice aquam, Non habemus potum, & quis est iste Deus, qui iubet ut bibamus lapides? Egre gia scilicet providentia. Hic tandem duritia silicis uertetur in naturam aque fluentis? Hoc ego prestabo percussione uirge siue baculi? Stultorum & puorum ludo sunt hæc similia, ego ridebor ab omnibus, & lapidabor priusquam hæc fiant.

Sed absurda & impossibilia abiicit ex oculis, solum intuitus in uerbum Dei, quod talia iusserat & dixerat, fecit ergo quod iussus erat, Nam congregauit populum, & antecessit perducens ad petram, cum assupisset secum uirgam, & locutus est ad petram, & percussit eam uirga, quia sic iussus erat, Congrega populum ad petram, & assume uirgam, & loquimini coram populo ad petram, atque hanc uirga perate. Hæc potuit Moses facere seandum præceptum Dei, ceterum ut petra uomeret aquam, nullus hominum facere potuit, nisi uerbum Dei, quod dixerat, Petra dabit aquas, Non dixerat, Tu fac aquam. Huic uerbo credidit Moses, & fecit quod iussus erat, Deus autem adfuit suo uerbo, & prestitit quod dixerat, quemadmodum ait, En ego stabo ibi coram te supra petram Horreb.

Ita & secundum hanc Christi institutionem facimus quæ ipse iubet, certe facilima, iucundissima & Christianis appetenda, & credimus quæ ipse dicit, non dubitantes, quin adsit suæ institutioni, & præstet uerbi

uerbi sui ueritatem, non minus certo, quam tunc produxit aquam ex petra.

Vides quam spaciosus campus mihi hic rursus apertus sit, si placeret uerbis multas complere chartas, satis & hic fuerit hæc inditasse.

Sed iam dudum hic mihi occurrunt, omnia Dei miracula oportere esse manifesta, ita ut sensibus nostris appareant, alioqui non esse miracula, talium autem nullum uidetur in Sacramento. Quibus respondeo, me non hæc produxisse de miraculis, ut confirmem quicquid quidam erga hoc Sacramentum commenti sunt, uel quicquid ludibrio Satanae sæpe accidit, sed ut ostendam Deum nunquam deesse potuisse suo uerbo.

Hoc solum miraculum hic prædicamus, quod panis Domini est corpus eius, poculum domini est sanguis eius, propter Christi institutionem & uerbum, Edite, hoc est corpus meum, Bibite, hic est sanguis meus. Christi uerbum facit nobis hoc miraculum, nullum autem aliud miraculum foris querimus quod uideamus. Ideo & solo Christi uerbo contenti, nullis hic alijs miraculis occupamur. Christiani hic tantum respiciunt in uerbum Christi, ut credant quod dicit & pronunciat Christus, & faciant quod ipse iubet, ut ueri & obediens unicus magistri discipuli, Quæ uero hæc sacra Christi institutione comprehensa non uident, ad se nihil pertinere putant, Quid enim ad Christianos, quid

E s commententur

quid deprauent, quid commententur homines, nisi q̄
uerbo Dei confundere oportet errores?

Hic autem obiter admonitos uelim illos, qui antea
fratres nostri uideri uoluerunt, ut quando se contine-
re non possunt, quin scribant contra Christi institu-
tionem, separent nos ab illis, qui Euangelium oderunt
& persequuntur, in quorum numero uel ipsi fatentur
nos non esse, & seorsum scribant contra nos, & non
permisceant sic omnia, ut omnes omnium hominum
abusus & errores effundant super capita nostra, ob
hanc unam causam, q̄ non uolumus negare Christi in
cena nouissima institutionem, hinc alios simpliciter
papistas dixerunt, nos uero dupliciter esse papistas.
Quo queso spiritu sic protinus raptantur, ut damnent
totum Euangelium nostrum, quando tamen interim ne
uno quidem uerbo, quod ad doctrinam attinet, disce-
dimus à dei ueritate, parati uel à puero admoneri, si
quid humani nobis contingit?

Discant uel ex ijs quæ nobis obijciunt de miracu-
lis, q̄ non Christiane sentiant, Nullum autem est miracu-
lum in Christi pane & poculo, quia nullum uidetur.
Ita nihil separare nouerunt miracula & signa, quæ
infidelibus dantur, ab ijs, quæ fidelibus.

An non sunt fidelibus miracula illa, quæ nec oculus
uidit, nec auris audiuit, quæ præparauit Deus dili-
gentibus

gētibus sc. miracula certe de quibus nunq̄ satis mirari
possunt, q̄ reuelatur eis Euangelium, ab eterno abscon-
ditum apud patrem deum, q̄ per fidem in Christum
accipiunt remissionem peccatorum, q̄ agnoscunt se fi-
lios Dei esse factos, q̄ gaudent in tribulatione, quod
crescunt iugiter in fide & cognitione domini nostri
Iesu Christi, q̄ sciunt ista tantæ humilitatis & uilita-
tis corpora in resurrectione configuranda claritati cor-
poris Christi &c. Quæ certe talia sunt, ut quemadmo-
dum Petrus ait, etiam angeli certatim in ea prospice-
re desyderent, ad quorum cognitionem Paulus omnem
iusticiam humanam reputat ut stercore, miratur quoq̄;
ita ut præteritorum obliuiscatur, sequaturq̄; iugiter,
ut tandem possit perfecte comprehendere Christi cog-
nitionem, quemadmodum ipse cognitus est.

Breuiter, non postulamus ut hic miraculis credas, sed
Christi institutioni & uerbo. Si Christianus es, non re-
cusabis conditionem, Nam si suæ creationi, ordinationi,
iussioni adesse solet, nec potest abesse, ut flant
quæ alioqui fieri non possent, quæ temeritas est, hanc
solâ Christi institutione uelle exclusam? quæ impietas
hic Christum facere mendacem? Summa stulticia est sic
argumentari, Vos non potestis facere corpus Christi,
quia Christus uobis non dixit, Facite corpus meum,
ergo non est uerum quod Christus dicit, Panis est
corpus meum, poculum est sanguis meus, nisi
fictis

fictis tropis subuertatur contextus institutionis Christi.

*Idcirco ergo
inimoz*
Vt audire q̄ Christus autor Sacramentorum,
etiam est & dator, qualiscunq; sit interim ex
ternus minister in occulto, de quo iudicare non
debeo, Nam publice criminosos Ecclesia Christi non
patitur, sed si potest emendat eos, non autem cum eis
interim communicat, in Ecclesia autem Papiistica ta-
les habere licet & defendere. De occulto ego lo-
quor, qui bonus uidetur, & forte est aliquis Iudas, hic
ut prædicat mihi Euangelium, non suum, sed Christi, ut
credam non in ministrum, sed in Christum, ita dat mi-
hi Sacramenta non sua sed Christi. Nam nisi Christus
tam salubria Sacramenta suo uerbo instituisset, nullus
ministorum, neq; bonorum neq; malorum mihi hic
aliquid daret uel prodesset.

Audi itaq; præter ea quæ diximus, Sicut Christus
nos baptizat, ita etiam ipse nos in hoc Sacramento
(ut cum uulgo dicam) communicat corpore & san-
guine suo.

Solus enim ille baptismus quem ministravit Ioan-
nes, dictus est Ioannis, qui tamen non erat humanum
inuentum, sed Dei consilium, ut dicitur Luca. 7. Pha-
risæi & legisperiti consilium Dei speruerunt in se-
metipsos, non baptizati à Ioanne. Et Christus Matth.
21. Baptismus Ioannis unde erat è cælo an ex ho-
minibus?

minibus? id est, erat ne Dei consilium an hominum in-
uentum? Et Luc. 3. dicitur, Factum est uerbum domi-
ni super Ioannem Zachariae filium in deserto, & uenit
in omnem regionem Iordanis, prædicans baptismum
pœnitentiæ in remissionem peccatorum. Hinc ipse
Ioannes dicit Ioan. 1. Qui misit me baptizare aqua,
ille mihi dixit &c. nimirum significans se ad suam
prædicationem & baptismationem à Deo uocatum.
Baptizabantur autem à Ioanne, ut crederent in
Christum, qui post eum uenturus erat, ut dicit Paulus
Actor. 19. Et ipse Ioannes Ioan. 1. Ut inquit manifeste-
tur in Israel, propterea ego ueni aqua baptizans &c.
Et Matth. 3. Ego quidem baptizo uos aqua in pœni-
tentiam &c.

At nunc (ne obijcias nobis scortatores & mœ-
chos & usurarios &c) nullius hominis uel Angeli
baptismus est, sed solius Christi, à quoanq; ministro
datur, Quemadmodum Ioannes Baptista ait, Hic in-
quit baptizat spiritu sancto. Si Christus baptizat, quid
apud te disceptas de homine ministro? In Christi ma-
num respice. Et ne dicas, hæc de spiritu sancto dici non
de aqua, Christus aquam ut necessariam (quia sic uo-
luit) adiunxit suo baptismo dicens, Nisi quis renatus
fuerit ex aqua & spiritu sancto, quibus uerbis non soli
spiritui, sed & aquæ tribuit regenerationem propter
spiritum, quia uerbo siue institutione sua ita sanctam
mult

vult aquam fidelibus in baptismo, ut non clames, caro non prodest quicquid, prodestque tuam ignorantiam. Quod si et per aquam renascimur, quis non uidet Christum etiam ipsa aqua nos baptizare? Nam minister aquam quidem potest nobis ministrare, ut autem renascamur ex aqua, non potest efficere nisi solus Christus suo spiritu.

Vides itaque quod Christus ipse baptizat nos, etiam quando homo tantum baptismi minister est, non in nomine suo, sed in nomine Christi. Hinc legis saepe in Actis Apostolicis, homines ab Apostolis et ab alijs baptizatos in nomine domini nostri Iesu Christi, id quod interpretatur Paulus. 1. Cor. 1. dicens, Ne quis dicat quod in nomine Pauli sit baptizatus. Et Gal. 3. Quiaquamque baptizati estis, Christum induistis, non hominem baptizantem dominum Conradum aut alium etc. Et Ro. 6. Baptizati estis in Christum Iesum, et in mortem Iesu Christi. Petrus quoque. 1. Pet. 3. Baptisma aquae saluos nos facit per resurrectionem Christi etc.

Vides num Apostoli intellexerint Christum nos baptizare etiam aqua. Paulus Eph. 5. sic dicit, Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, et seipsam mundaret in uerbo etc. Nonne dicit Christum etiam adesse aquae, immo ipsum baptizare aqua, et ita baptizare aqua, ut per aquam mundet suam sponsam? quemadmodum et aue diximus, quod minister aquam quidem dare potest, per aquam autem regenerare aut ut hic dicitur mundare non potest. Quod autem illic Christus dicit, Ex aqua et spiritu sancto

sancto, hic Paulus dicit, Lauacro aquae in uerbo.

Hoc indico propter quosdam, qui nunc ubi legunt, Spiritus est qui uiuificat, et Verba quae ego locutus sum sunt spiritus et uita, somniant sibi suas illas speciosas cogitationes et humani cordis figmenta esse spiritum sanctum, et ita iactitant plenitudinem spiritus et exundantiam, ut uidere liceat, quod non intelligant uerba dei, quae fidem nobis expiunt.

Sic et ad Tit. 3. dicit, Non ex operibus iusticiae, quae fecimus nos, sed secundum misericordiam suam saluos nos fecit, per lauacrum regenerationis et renouationis spiritus sancti, quem effudit in nos abunde, per Iesum Christum saluatorem nostrum. Quid lauacrum regenerationis et renouationis spiritus sancti dicat, uel ex supra dictis locis manifestum est, ne quid calumnietur, qui parati sunt, quae Christus instituit, uel negare uel deprauare.

Sed quid attinet tam manifesta multis agere, manifesta inquam illis, quibus cura est uerbum dei et Apostolorum scriptorum lectio? Quin respicimus in Christi institutionem, qua instituit et iussit baptizari dicens, Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra, Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris et filij et spiritus sancti? Audis quod iubet eos baptizare ut ministros, non ut baptismi autores. Ipse ergo dat baptismum suum, non Apostolorum, licet per Apostolos, Ipsius baptismus sine dubio est, qui baptismum instituit eterno et omnipotenti suo uerbo. Hinc baptismus Christi dicitur, ut supra indicatum est.

Quod

Quod enim non tuo nomine sed alterius facis, ut iudicum, principum &c. non tu facis, sed ille, cuius nomine facis, modo ille tibi mandarit, potestatemq; habuerit hoc tibi mandandi, ut eius nomine faceres. Sic principum legati nomine principum agunt & suscipiuntur, Sic Paulus de Euangelio suo dicit, Pro Deo legatione fungimur, exhortamur uos tanq̄ Deo exhortante per nos. Hinc illud, Benedictus qui uenit in nomine domini Rex Israel.

Impij autem doctores, ^{apud} quos non est Euangelium, sed traditiones humane & doctrina demoniorum, non ueniunt in nomine Dei patris, sed in nomine suo. Nam uel mentiuntur se esse legatos Dei, uel si ad munus Euangelicum uocati sunt, tamen infideles legati sunt, nunciantes ea & exigentes, quæ dominus eis non mandauit, Quanto tolerabilior erat scelestissimus ille proditor Iudas, qui ut sua quæsierit, tamen Euangelium predicabat, & non rapuit secum suos auditores in præcipitium damnationis. Sed mundus illos debet suscipere, qui ueros Dei ministros non nouit nisi contemnere, blasphemare & damnare, ut suscipiant mendacia, qui dilectionem ueritatis, quando Euangelium predicabatur, suscipere noluerunt, quemadmodum Christus dicit Ego ueni in nomine patris mei, & non me suscepistis, si alius uenerit in nomine suo, illum suscipietis. Hoc dixit Christus optimis illis & sapientissimis

tissimis & iustissimis Iudeis, quemadmodum in speciem uidebantur, quos auerbat à Christi Euangelio cordis infidelitas, id est, eorum cupiditas, & quæstus & arrogantia.

Si igitur baptizamus quidem nos, sed non in nomine nostro, quid respicis in baptizantem hominem, siue ministrum aquæ, & non potius in eum, cuius nomine ex institutione & iussione Christi baptizamus?

Baptizamus in nomine patris & filij & spiritus sancti, hoc est, in nomine sanctæ trinitatis, quemadmodum & tota trinitas reuelata est in Christi baptismo, non quod nos baptizamur, quia Christus baptizatus est, sed quia Christus, ut baptizemur, instituit. Qui in nomine patris & filij & spiritus sancti baptizatur, nonne baptizatur in nomine Dei? Et qui in nomine patris baptizatur, nonne baptizatur in nomine Dei? Et qui baptizatur in nomine filij, nonne baptizatur in nomine Dei? Qui autem baptizatur in nomine filij, nonne baptizatur in nomine Domini nostri Iesu Christi, qui filius Dei patris & Deus est? quemadmodum de baptismo saepe scribitur in Actis Apostolorum, baptizatos homines in nomine Domini nostri Iesu Christi. Non legitur quibus uerbis baptizarent Apostoli, sed quo nomine, Non enim uerba præscripserat eis Christus, nisi predicationem Euangelij, sed iusserat baptizari in nomine Dei, ut non indigeant

F quidam

quidam excusare Apostolos, quod baptizarint in nomine Domini nostri Iesu Christi. Porro & qui baptizatur in nomine spiritus sancti, baptizatur in nomine Dei, quando & spiritus sanctus deus est, in quem credimus, sicut in patrem & in filium. Rursum, qui baptizatur in nomine Dei, baptizatur in nomine sanctæ trinitatis, patris & filij & spiritus sancti, quando hæc trinitas in æternum benedicta, nihil aliud est q̄ Deus. Et qui baptizatur in nomine patris, qui Deus est, baptizatur in nomine sanctæ trinitatis, nam non potest intelligi pater deus sine filio deo, a quibus spiritus sanctus, quando est utriusq; spiritus, abesse non potest. Sic & qui baptizatur in nomine filij, qui est Deus baptizatur in nomine sanctæ trinitatis, Non enim potest intelligi filius Deus sine patre Deo, a quibus utriusq; spiritus abesse non potest. Sic & qui baptizatur in nomine spiritus sancti, qui Deus est, & tertia in trinitate persona, baptizatur in nomine sanctæ trinitatis. Est enim spiritus sanctus patris & filij spiritus, & hæc trinitas Deus separari non potest.

Quia uero huius baptismi institutor & autor Christus est, Apostoli baptizabant in nomine Domini nostri Iesu Christi, significantes Christum ipsum baptizare & regenerare etiam per aquam, & mundare lauacro aque in uerbo suam sponsam, se autem eius esse ministros, ad predicandum Euangelium, non suum

suum, sed eius, ad dandum baptismum, non suum, sed eius.

At uero post Apostolos, propter hæreticos, negantes trinitatem, quorum alij filium negabant esse deum, alij spiritum sanctum, alij utrunque, Ecclesia Christi & immaculata sponsa, id est, quæ nihil aliud ad salutem, & ut necessarium suscipit, quam uerbum Dei siue sacrum Euangelium, cepit his præscriptis uerbis baptizare. Ego baptizo te in nomine patris & filij & spiritus sancti, ut certi essent, qui baptizabantur, se rite esse baptizatos secundum Christi institutionem, non alio nomine q̄ sanctæ trinitatis, quam hæretici negabant.

Atq; hic mos præscriptorum uerborum perdurat in Ecclesia etiam nunc, nec debet temere mutari, quando minister nihil aliud his uerbis dicit se facere, quàm quod Christus instituit, & facere iussit, quasi dicat, Christus iussit, Baptizate in nomine patris, & filij, & spiritus sancti. Ecce, Ego baptizo te in nomine patris, & filij, & spiritus sancti, Ego quidem baptizo te, sed non in nomine meo, sed in nomine patris, & filij, & spiritus sancti, Deus est, qui te baptizat. Dominus noster Iesus Christus, qui ita baptizari instituit, te baptizat, hoc nomine suscipe baptismum, ut sis Christianus, baptizatus in Christum, Qualis qualis ego sim, qui interim minister sum.

F = Hinc

Hinc & omnes dicunt puerum istum, qui baptizatur, fieri Christianum, quoniam ante baptismum fatetur esse gentilem, nimirum sentientes puerum in Christum baptizari, non in baptizantem hominem, & non tam ab homine, quam a Christo baptizari.

Nam huc pertinet, quod ante baptismum paruulorum, ex sancta atque adeo necessaria consuetudine legitur Euangelium, Sinite paruulos uenire ad me, & nolite prohibere eos, talium enim est regnum caelorum. Quo significamus nos paruulos nostros offerre Christo, quia ipse dicit, Sinite paruulos uenire ad me. Quando uero etiam addit, Talium est regnum caelorum, offerimus etiam eos Christo baptizandos. Si enim eorum est regnum caelorum, cur eis baptismum negaret? An indignum est baptizari, quorum est regnum caelorum?

Sive igitur paruuli sive adulti baptizentur, baptizantur in nomine domini nostri Iesu Christi, qui baptismi autor est & institutor, baptizantur in nomine Dei sive sanctae trinitatis, quemadmodum Christus instituit.

Magna quidem hic gloria ministri, quod stat & agit in baptismo uice Christi & totius trinitatis, sed maior gloria baptizati, quod a Christo domino nostro & a tota trinitate baptizatur, & quod ibi Deus cum homine, qui erat natus filius irae, inuit pactum sempiternae salutis

salutis, per resurrectionem domini nostri Iesu Christi, ut Petrus dixit, modo homo in isto pacto permanescit.

Quos hic mihi obijcies scortatores, blasphemos, usurarios, nebulones &c? Nos manifeste criminosos ministros non sustinemus, ut Ecclesia papa, Si quis autem est occulte Iudas, qui interim apparet esse ex nobis, nihil mihi obest, ego ut ab homine predicatore suscipio Euangelium, non hominis, sed domini nostri Iesu Christi, ita ab homine, qui minister est Ecclesiae, suscipio baptismum, non hominis, sed domini nostri Iesu Christi.

Quorsum haec de baptismo? nimirum ut manifestum sit, Christum nos baptizare, dum baptizamur secundum eius institutionem ac iussione[m], id quod ex scriptis Apostolicis & Christi institutione declarauimus.

Turpe est Christianos hanc gloriam baptismi non attendere, quin uetant potius hodie, qui aduersantur Euangelio Christi, uel in hac parte, id quod negare non possunt, ne coram Germanis Germanica lingua baptizemus, ne scilicet qui astant intelligant quid dicatur. Ecclesia a tempore Apostolorum ut praedicauit omnibus linguis, ita etiam baptizauit inter Hebraeos Hebraice, inter Graecos Graece, inter Persas Persice, inter Latinos Latine, Solis uero nobis non licet in

Sacro Christi baptisate audire linguam nostram. Tam stultum autem est Germanos latine nescientes interrogare latine, ut respondeant sua lingua nescientes ad quid, quam stultum esset Euangelium eorum cis latine predicare.

Quemadmodum autem Christus nos baptizat, licet per ministrum, ita etiam ut diximus nobis dat corpus suum & sanguinem suum, in hac, de qua loquimur, sanctissima cena, licet per ministrum. Videamus rursum uerba huius institutionis, quae hac de re satisfacere debeant Christi discipulo, quae supra diximus. Christus dicit, Accipite, comedite, Hoc est corpus meum, Bibite, Hic est sanguis meus. In quem ministrum siue bonum siue malum, in quem scortatorem & adulterum hic respicias? ad quae murmura & flatus maleolentes hic attendes? et acco reliquas blasphemias, propter dominum nostrum Iesum Christum, qui nobis hic dat suum corpus & sanguinem, An ministri hominis hac uox est, Accipite, edite, hoc est corpus meum, ut uerearis te accepturum corpus scortatoris aut proditoris? Certum itaque est quod Christus ipse hic adest, & dat nobis suum corpus & sanguinem, efficiens institutionis suae uerbo, ut panis sit corpus suum & poculum sanguis suus, sit inquam illis qui credunt esse, propter uerbum eius & institutionem, siue digne siue indigne manducant.

Adeo enim non potest abesse huic institutioni, adeo
non

non potest fallere suos discipulos, id est, qui eius uerbum credunt esse uerum, ut etiam malos discipulos siue nat edere corpus suum & sanguinem suum bibere, ne quid dubites de hac sacra institutione. Nihil hic decessit maiestati corporis Christi, deccederet autem maiestati & ueritati diuina, si propter malos discipulos inueniretur mendax esse uerbum Christi, quod dicit, Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus.

Quam nihil patitur hoc corpus, dum editur a bono, tam nihil etiam patitur dum editur a malo, sed ille bono corpore Christi utitur in salutem, hic autem ad iudicium, ut Paulus ait, quemadmodum deus facit oriri solem suum super bonos & malos, super gratos & ingratos, nec tamen deccedit aliquid gloriae solis, nec propter malos perit institutio Dei, qua instituit ut sol quotidie oriatur, & diem reddat sua praesentia illustriorem. Et Manna edebant grati & ingrati, & ex petra bibebant boni & mali, propter uerbum Dei, Exhibitis & colliget unusquisque &c. Item, Bibet omnis populus & pecora uestra.

At ait aliquis, Tu hisce rebus maiestatem corporis Christi comparas? Respondco, Non, sed uerbum dei cum uerbo dei comparo, quod ut haec uoluit, ita etiam uult secundum Christi institutionem edi corpus Christi, & sanguinem eius bibi. Non gaudet dominus in cena de proditore, qui accipit eius corpus et sanguinem, sed gaudet de sui uer-

F 4 bi ueritate &

te, & non potest uelle aeterna ueritas propter proditorum, ut non sit uerum quod dicit, Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus.

Accipit itaq; & malus, & edit, sed non facit hoc, ut Christus instituit in Christi commemorationem, nisi forte hypocriticam & simulatam, quia non fidei moritur Christi, quemadmodum hodie abominationibus miserum mundus est plenus, in quibus non queritur Christi institutio, nec seruatur, ut supra diximus, a multis uero solum hoc queritur, quod per Iudam querebatur.

Quantum ego non sum sollicitus pro iis, qui Euangelium oderunt & persequuntur, quid ex Christi Sacramentis faciant, tantum his uerbis conforto eos, qui ante hac ignorantes cum eis communicarint, & postea forte inciderint in ministros Ecclesiae, quos postea deprehendent fuisse Iudae consortes, ne dubitent de uerbi ueritate cui credunt, quasi propter ministri maliciam tu non accipias, quod secundum Christi uerbum te accipere credis. Christus tibi hic dat suum corpus, cuius uerbum audis, cuius institutionem ueram credis.

Hoc certe uoluit & Paulus, quando repetijt Christi institutionem his uerbis, Ego accepi a Domino quod & tradidi uobis, quod Dominus in ea nocte qua tradebatur, accepit panem &c. Hinc & panem Domini

Domini & calicem Domini uocat, nempe quem Dominus suo uerbo consecrat, & nobis ipse dat, ut praestet suae institutionis ueritatem.

Alioqui quid hic haberemus aliud, quam panem & uinum, quemadmodum Sacramentarii illi plane nihil aliud habent, quia non credunt panem Domini esse corpus Christi, & poculum Domini esse sanguinem Christi, quod non credunt non habent in toto suo consortio. Sunt ergo absque periculo, ne fiant in hoc Sacramento rei corporis & sanguinis Christi, ne quis putet eos nihil lucri ex tam insigni doctrinaa speciosos, sed in hoc periculum solent incidere mali discipuli Christi, qui propterea nonnunquam, ut Paulus ait, a Domino corripuntur & iudicantur, ut non cum hoc mundo damnentur. Isti uero sunt deprauatores & abnegatores uerbi & institutionis Christi, non solum se abducunt a Christo, sed etiam multos alios secum rapientes in praecipitium erroris, & ideo nisi respiciant admoniti indigni sunt quos Dominus corripiat, ut non cum hoc mundo damnentur, Fugiant ergo uenturam iram, contra uerbum Christi eis res est, quod eis pereuntibus manet in aeternum. Sciant Christum ipsum hic dare nobis suum corpus & sanguinem, & non scortatoris, aut etiam alicuius sancti hominis hic esse panem & poculum, sed Domini nostri Iesu Christi, omnis sanctitatis autoris, non Capernaitarum aut Thyestis (o blasphemiam horrendam

horrendam) hic esse carnem, sed illius, per quem uiuificantur omnia, qui est dominus noster Iesus Christus, huius sacri conuiuij institutor Deus in aeternum bene dictus Amen.

Paucis itaq; accipe omnia quae dixi, Vt tibi panis domini sit eius corpus, crede uerbis & institutioni eius, ut autem digne edas, fiduciam habe in mortem eius, & respondisti sacrae huic institutioni.

Hec ubi scierimus de hac Christi institutione, qua fit ut hic non possit non esse corpus Christi, non contendo de uerbo consecrationis, quod uulgo uocant consecrationem corporis & sanguinis Christi, dicentes, quod ministri consecrant in altari corpus & sanguinem Christi, modo omnia hic etiam tribuantur Christi uerbis & institutioni, nihil nobis arrogemus praeter ministerium, nobis ad hoc commissum, ut curemus, quo fiat quod Christus instituit, nepe ut edatur & bibatur a fidelibus hoc Sacramentum in Christi commemoratione.

Quid attinet digladiari de uerbis, quando constat de ipsa re? Scio melius dici Christi institutionem quam nostram consecrationem, attamen non contendo. Vbi panis sit corpus Christi, & poculum sanguis Christi ex Christi institutione, dei consecratio est, spiritus sancti consecratio, Christi consecratio est. Si tantum nostra consecratio posset dici, & non Christi, cederemus Sacramentarijs, Quando autem dei & Christi est haec consecratio, secundum Christi uerbum dicentis, Hoc est corpus

corpus meum, Hic est sanguis meus, & haec institutio nobis instituta est & data, non prohibeo, si quis & ministrorum dixerit consecrationem, quemadmodum & patres quandoque dixerunt.

Quia nos super panem & uinum, in hunc sacrum usum assumptum, coram communicaturis repetimus Christi institutionem, ut audiant et intelligant quid ex uerbis Christi hic sit & faciendum & credendum, ut edant panem domini, & bibant calicem Domini Christi, in Christi commemoratione, & credant panem quem edunt esse corpus Christi, & poculum quod bibunt esse sanguinem Christi. Ibi enim quando pronunciat Christus institutio super panem & uinum, amplectimur corde & amamus cum gratiarum actione Christi institutionem, ideo credimus esse uerum quod Christus illic dicit, nempe panem esse suum corpus, & poculum suum sanguinem, & facimus, quod ipse faciendum instituit, nempe edimus Christi corpus & bibimus eius sanguinem, in eius commemorationem. Quod ibi ex uerbo Christi credimus, habemus, ideoque si quis propter hoc ministerium dixerit nostram consecrationem, per me licebit, modo non aliquis propter hanc loquendi consuetudinem dicat nos praesumere, quasi nos faciamus, ut panis sit corpus Christi, & non potius uerbum & institutio Christi coram communicaturis recitata, tanquam priuilegium, & donatio siue beneficium nostri Imperatoris Christi, Non enim exigit institutio Christi, ut faci

ut faciamus corpus eius, sed ut credamus panem illum
esse corpus Christi, qui hoc non credit, infidelis est,
& facit Christum in hac institutione mendacem.

Potestatem itaq; habemus accipiendi & edendi
corpus Christi, accipiendi & bibendi sanguinem Chri-
sti uere in hoc Sacramento, Atq; adeo Ecclesie mi-
nistri, qui uerbum annunciant salutis, potestatem ha-
bent dandi etiam alijs panem Domini, de quo ipse di-
cit, Hoc est corpus meum, & poculum Domini, de quo
ipse dicit, Hic est sanguis meus, nimirum ipso effici-
ente, ut sit ibi corpus ipsius & sanguis, qui sue insti-
tutioni & uerbi sui ueritati deesse non potest.

Hanc potestatem ita expressit Paulus, Panis quem
frangimus, nonne communicatio corporis Christi est?
& poculum benedictionis cui benedicimus, nonne
communicatio sanguinis Christi est? Nos, inquit, fran-
gimus panem, & panis quem ita frangimus siue distri-
buimus, est propter Christi institutionem communi-
catio siue participatio corporis Christi, Et nos benedi-
cimus poculo, & poculum benedictionis siue benedic-
tum, quod uel cui nos benedicimus (non quo benedi-
cimus, ut audet quidam ex Sacramentarijs depraua-
re) est communicatio siue participatio sanguinis
Christi, quia Christus instituendo hoc Sacramentum,
de hoc dixit, Hic est sanguis meus, sicut de illo, Hoc
est corpus meum, quemadmodum & sequenti Capite
in eadem

in eadem Epistola Paulus narrat Christum dixisse,
Hoc est corpus meum, quod pro uobis frangitur.

Fractio siue distributio ministrorum est, qui nomi-
ne Christi distribuunt, communicatio autem siue par-
ticipatio est omnium accipientium. Communiter enim
accipimus, id est, quisq; partem suam ex uno pane,
quem frangimus, & ex uno uino siue poculo quod hic
bibimus, id quod est communicare siue participare,
& hæc communicatio siue participatio, est communi-
catio siue participatio corporis & sanguinis Christi,
illius quando edis panem Domini, huius quando bibis
poculum siue calicem Domini, quia ipse Dominus, ca-
ius est hic panis, & non uulgaris panis, cuius est hoc
poculum, & non uulgare poculum, de illo dicit, Hoc
est corpus meum, quod pro uobis datur siue frangi-
tur, de hoc autem, Hic uel hoc est sanguis meus, qui
&c.

Et ne dubites, propter deprauatores huius loci
Paulini, ipse Paulus exponit, quam dixerit communi-
cationem siue participationem, Quoniam, inquit, unus
panis est, unum corpus multi sumus, quia omnes ex
uno pane participamus.

Et licet uulgo subaudiamus, Vnus panis, scilicet
sumus, quemadmodum sequitur, Vnum corpus multi
sumus, non mala quidē sententia, si pie interpreteris,
ut sic

ut sic simus unus panis, quemadmodum unum corpus, quia ex uno pane, de quo Christus pronunciat, Hoc est corpus meum, omnes participamus. At huic sententiae similem non inuenies in sacris scripturis alibi, nempe, quod nos multi unus panis sumus, quod uero unum corpus sumus, saepe leges.

Quisque hic suo sensu abundet, nostra parum refert, si absit sententiae Paulinae deprauator. Siue enim unus panis simus, siue unum corpus, propterea ut ait Paulus sumus, quia omnes nos ex uno pane quem frangimus, de quo Christus dicit, Hoc est corpus meum, participamus siue communicamus, ut uideas eandem, quam indicare uolui, communicationem, in hac ipsa esse sententia haecenus uulgo recepta & pia.

Ex uno, inquit, pane quem frangimus, participamus siue communicamus, de quo Christus dicit, Hoc est corpus meum, Et panis quem frangimus est participatio siue communicatio corporis Christi. Non hic dicit Paulus, quod nos qui sumus unus panis & unum corpus, nos mutuo edimus, ut nunc audent corrumpere etiam hunc locum, sed utcumque etiam intelligas nos unum esse panem, tamen propterea dicit nos unum esse panem & unum corpus, non quia nos mutuo comidimus, sed quia omnes ex uno pane, quem frangimus, participamus siue communicamus.

Ergo.

Ergo quam dixerat communicationem siue participationem corporis Christi, eandem dicit communicationem siue participationem unius panis, nempe illius, quem frangimus, de quo infra narrat Christum dixisse, Hoc est corpus meum, quod pro uobis frangitur, de quo etiam narrat Paulus ita, Accepit panem, & cum gratias egisset, fregit &c.

Vides ne tandem panem quem frangimus & edimus secundum Christi institutionem, esse ut participationem panis, ita & participationem siue communicationem corporis Christi, & participatum siue communicatum hunc panem Domini, & multis distributum, esse participatum siue communicatum corpus Christi?

Quemadmodum uero communicationem corporis Christi intellexisti, ita intelliges communicationem sanguinis Christi, quando dicit, Poculum benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? quemadmodum & alibi communicationem Spiritus sancti dicit.

Licet inquam uulgo sic interpretemur, quasi Paulus nos sic unum panem dicat, quemadmodum unum corpus, pia quidem sententia ut dixi, tamen praesens intuenti consuetudinem scripturae, quae non solet nos dicere unum panem, praeterea & contextum atque sententiam huius loci, luce clarius

clarius apparet, non hoc loco dici de pane allegori-
co, quasi nos simus unus panis, quando dicitur, Quo-
niam unus panis, sed de uero pane, de quo dixerat, Pa-
nis quem frangimus, ut quando sine uerbo etiam in
græco hoc dictum est, quoniam unus panis, subaudiend-
um sit, est, non sumus.

Exponere enim uult quam dixerit communicatio-
nem corporis Christi, in his uerbis, Panis quem fran-
gimus, nonne communicatio corporis Christi est? Quo-
re est communicatio corporis Christi ille panis?
Quoniam, inquit, unus panis est, nempe quem frangi-
mus siue distribuimus, quem Christus nobis his uerbis
consecrauit & dedit, Hoc est corpus meum, quod pro
uobis frangitur. Nos multi sumus unum corpus, id est,
inuicem alij aliorum membra, sub uno capite Christo,
saltem secundum iudicium nostrum, quando interim
omnes de fide in Christum & unico domino nostro Iesu
Christo gloriamur, nemo nostrum non uult non dici
Christianus, aut pro Christiano haberi, ut interim
non dicam, q̄ Paulus non dicit, Vnum corpus Christi
multi sumus, sed simpliciter, Vnum corpus multi su-
mus, id est, una congregatio. Ideo non diuidamus nos
in idolis, id quod in eo loco agit Paulus, Siquidem indig-
num est nos communicare siue participes fieri mensæ
Domini Christi, & mensæ demoniorum. In mensa Do-
mini accipimus panem, qui est corpus Christi, In
mensa

mensa demoniorum accipimus non malum quidem ci-
bum, sed tamen demonibus immolatum, cum scandalo
infirmiorum fratrum, & cum opinione gentilium, quasi
& nos edendo colamus idola, quæ est, non per uerba
quidem, sed per ipsum factum, abnegatio Christi, &
manifestum consortium cultus idolorum, ut auq̄ aliter
in occulto sentias. Sed quare nos multi sumus unum
corpus? Quia, inquit, omnes ex uno pane quem fran-
gimus, de quo Christus nobis dicit, Hoc est corpus me-
um, quod pro uobis frangitur, participamus.

Quemadmodum etiam multa membra, id est, om-
nia membra unius corporis, sunt unum corpus (ne
quid te offendat, quod multi dixit & omnes) quia ex
uno pane & cibo omnia uegetantur, & unius cibi co-
mesti omnia sunt participantia. Si quod membrum ari-
dum fuerit & mortuum, cui non prodest cibus, tamen
cibus bonus est, & æque pro illo membro sumitur atq̄
pro alijs, & membrum illud iudicatur pertinere ad
corpus, & spe restitutionis suetur, ut possit idem cibus
ei prodesse, qui alijs, donec abscissum non fuerit. Po-
test etiam fieri, ut uulnerato membro cibus susceptus
noceat, qui alioqui eidem sano sanus esset. Hinc medici
erure lesis aut alibi uulneratis, uel alioqui male affe-
ctis suillam prohibent, quam tamen aserunt bene nu-
trire, & humana nature non male conuenire. Quis
non uidet, quo ista similitudo pertineat, ut nunc absti-
neam ab

neam ab ea explicanda? Si quid non satis respondet ad rem, abiciat quod meum est quicumque uoluerit, ut integrum mihi maneat in hoc sacratissimo Sacramento illud quod Christus instituit, Non enim pro nostris uerbis contendimus, sed pro ueritate uerbi Christi,

Igitur communicatio corporis Christi in hoc loco Pauli est, quod omnes communicamus siue participamus ex uno pane quem frangimus, de quo Christus dicit, Hoc uel hic panis est corpus meum, quod pro uobis frangitur, Nam sic ait, Panis quem frangimus, id est, distribuimus, & nobis inter nos communem facimus, dum quisque partem suam sumit, nonne communicatio corporis Christi est? Quoniam unus est panis, nempe quem frangimus, non alijs alium damus, sed eundem. Nos multi sumus unum corpus, Quare? quia ex uno illo pane quem frangimus, omnes ut membra unius corporis participamus siue communicamus. At ille panis quem frangimus, est de quo Christus dicit, Hoc est corpus meum, quod pro uobis frangitur, Certo certius ergo est communicationem corporis Christi dictam, qua communicatur nobis corpus Christi, Nam ait, Omnes ex uno pane participamus, & institutio Christi dicit, hunc unum panem ex quo omnes participamus siue communicamus, esse corpus Christi.

Et certe eandem orationem uarie potuisset Paulus exprimere

exprimere, nempe etiam sic, Panis fractio, est fractio corporis Christi. Cur enim non sic diceret, quando postea narrat institutionem Christi his uerbis, Fregit dicens, Hoc est corpus meum, quod pro uobis frangitur? Et frangere panem in scripturis, est distribuere uel dare panem, ut uidere licet in illo loco Esaiæ, Fange esurienti panem tuum &c. Et in Threnis Hieremie, Paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis. Vel sic, Panis communicatio, uel panis quem communicamus, nonne est communicatio corporis Christi?

Hæc nunc crassius declaramus, contra illos qui hoc loco ex communicatione corporis Christi, faciunt inuisibilem & spiritualemente communionem, qua credentes & accepti Deo coram Deo in Christo, sunt unum & uere in Christi corpore, quod à solo Deo cognoscitur. Nouit enim Deus qui sint sui. Hanc communionem fidelium nemo negat, sed hoc loco de ea dici in uerbis his, Nonne communicatio corporis domini est negamus, At illi asserunt contra manifesta uerba, tantum ideo, ut non permittant panem Domini esse corpus Domini nostri Iesu Christi secundum Christi institutionem, Vident enim & sentiunt, quod forte telum hoc loco Paulus iaculetur, contra ipsorum impiam & præsumptam opinionem, & dum lucem ferre non possunt, solem, si fieri potest, obscurare nituntur.

Hinc & pergunt etiam ex communicatione sanguinis hoc loco facere non communicationem, qua communicatur nobis sanguis Christi, aut qua communiter inter nos bibimus sanguinem Christi, dum poculum omneis bibimus, de quo Christus pronunciauit, Bibite ex hoc omneis, Hic est sanguis meus &c. Sed communionem illam eandem inuisibilem, de qua diximus, addentes, sic nos qui sumus in Christo, dici unum Christi sanguinem, quemadmodum dicimur unum corpus. Sed certe sic non loquitur scriptura. Ego uero non repugnarem, si quis de corpore mystico Christi pie differens, diceret nos unum esse sanguinem, unum poculum, atque adeo unum unum, Sed quando hæc hoc loco contra manifesta Pauli uerba, & ad negandam clarissimam Christi institutionem, dicuntur, cogit pietas & Christiana religio, ut fatear Satanae omnis mendacij patris esse commentum.

Visibilis itaq; est ista communicatio, qua omneis communiter uisibilia suscipimus Christi Sacramenta, que inuisibiliter hoc sunt, quod esse Christi uerbo statuantur, ob qua Sacramenta uisibiliter ab omnibus nobis accepta, nos multi, dicimur & sumus unum corpus, Nos, inquit, multi sumus unum corpus, quia ex uno pane participamus. Tale, inquam, corpus, non quale deus in omnibus membris agnoscit, sed quale nos agnoscimus, id est, uisibilis Ecclesia, quam ex
confessio=

confessione fidei & fructibus dilectionis cognoscimus, in qua & illos pro bonis habemus, & reuera per Christum boni sunt, nisi mendacio & hypocrisi nos fallant, qui licet peccarint, uel in fidem uel in charitatem, tamen resipiscentes & errorem agnoscetes meliora promittunt.

In hac uisibili uel potius externa Ecclesia, non mundo quidem, sed nobis inter nos conspicua, id est, in hoc externo, ut ita dicam Christi corpore, siue congregatione omnium, qui sunt membra Christi, & qui pro membris Christi habentur, potest fieri (felix autem corpus siue Ecclesia ubi hoc non fit) ut aliquis iudicio nostro sit membrum Christi, quando interim nobiscum est unum corpus & in uno corpore Ecclesiae nostrae, non publico Ecclesiae nostrae iudicio, propter insanam doctrinam uel scandalum, quod non uult emendare, sic condemnatus, ut sit nobis secundum doctrinam Christi non sicut frater, sed sicut Ethnicus & publicanus, qui tamen coram Deo non membrum Christi est, sed Satanae.

Sumus itaq; inter nos unum corpus, dum interim de occultis non iudicat Ecclesia, & charitas non est suspicax, donec probemus spiritus, num eorum doctrina a deo sit, aut uideamus publica fratrum scandala, quando primum curabimus, ut seruemus errantes, deinde si hoc fieri non potest, ut abscindamus eos ex nostro corpore, ne pars sincera trahatur.

Non excommunicamus eos à Christi communione
uel Christi corpore, nisi externo ut dixi, sed publico
nostræ Ecclesiæ iudicio declaramus fratribus nostris,
tales quando emendari nolunt, iamdudum apud deum
fuisse excommunicatos, & non pertinere ad corpus
Christi coram Deo, Non enim potest Ecclesia ali-
quem uere excommunicare, nisi prius excommunica-
tum coram Deo. Hunc conuictum, quod docet contra
Christi fidem, uel quod scandalo est Euangelio Dei,
& non uult emendari, excommunicare debemus, ut
accedente nostro iudicio, quod certe Deus approbat
in cælo, secundum illud, Quæcumq; alligaueritis su-
per terram &c. incipiat timere iudicium dei, quod
contempsit, & ceteri probent nostram iusticiam, &
terruti caueant, ne similia ipsi admittant.

Donec uero ita iudicare non licet, aut Zizania se-
parare, fouemus sepe in sinu nostro Lucianicos, &
alios Dei contemptores, qui quia in uno corpore no-
stræ Ecclesiæ nobiscum sunt, communibus nobiscum
utiuntur Sacramentis, licet ad iudicium, ut Paulus ait,
& non ad salutem, immo quia nostris Sacramentis
utiuntur, non possumus eos negare esse unum corpus
nobiscum, non enim aliud scimus, ut maxime deus hoc
neget, qui est cordium cognitor, id quod ita expres-
sit Paulus, Multi sumus unum corpus, quia omnes ex
uno pane participamus.

Si queris exemplum, accipe rursum illud de Iuda
prodi-

proditore crassimum, Hic cum Apostolis, & alijs
tunc discipulis Christi erat unum corpus Ecclesiæ,
non enim aliud sciebant Apostoli, ideo nõ aliud de eo
iudicare licebat, sicut neq; nũc de talibus occultis, &
ipse talis haberi uolebat, & ideo eisdem cum alijs cõ-
municabat sacramentis, Quis præterea aliud iudicare
presumpsisset, quando ipse Christus cum Apostolico
munere dignatus erat? & tamen idem coram deo ad
illud corpus filiorum dei, qui sunt uere corpus & Ec-
clesia Christi, non pertinebat, sed erat proditor &
diabolus, quemadmodum Christus dixit Ioannis . 6.
Nonne duodecim ego uos elegi, & unus ex uobis dia-
bolus est?

Tale igitur corpus Ecclesiæ siue congregationis
nostræ externum est, id est, quemadmodum à nobis cog-
nosci potest, de quo Paulus hic ait, Nos multi unum
corpus sumus, quia omnes ex uno pane participamus
siue communicamus, Alioqui non diceret infra, edere
& bibere quosdam panem & poculum domini indige-
re ad iudicium. Item in conuentu Corinthiorum, ubi
conueniunt ad dominica Sacramenta, esse schismata &
hereses, ut taccan de alijs scandalis, utq; non dicam,
quod quidam etiam inter eos negabant carnis resur-
rectionem. Item in Epistola secunda dicit quos-
dam esse obnoxios contentionibus, emulationi-
bus, obtreccionibus, tumoribus & seditionibus,
quos nondum penituerit immunditiæ, libidinis &
impudiciæ.

impudicitia. Et quis non etiam hoc loco uidet eum de quibusdam male sentire, cum ait, Nolim autem uos consortes uel communicatores demoniorum esse. Non potestis poculum Domini bibere & poculum demoniorum, Non potestis mensa Domini participes esse & mensa demoniorum, An prouocamus Dominum? Num fortiores illo sumus? Et tamen hi omnes quando interim non erant publico Ecclesiae suae iudicio excommunicati, erant unum cum alijs corpus, quia non prohibebantur a communibus Christi Sacramentis, quemadmodum hic ait, Nos multi sumus unum corpus, quales quales interim aliqui sint coram Deo, quia omnes ex uno pane participamus. Et nos ueteris hanc excommunicationem seruamus, ut criminosos ad Christi Sacramenta non admittamus, quae est, ut hic uidet, uetus Ecclesiae Christi consuetudo.

Sic & scriptura solet loqui de corpore & Ecclesia nonnunquam externa, tunc scilicet, quando de corpore Ecclesiae loquitur, quemadmodum a nobis agnoscipotest. Ita legis e regno Christi per Angelos quandoq; colligenda omnia scandala, & eos qui faciunt iniquitatem. Regnum Christi siue corpus Ecclesiae audis, & tamen in eo interim etiam scandala & operarios iniquitatis, de quibus lege Matth. 7. Discedite &c. Et in Ioanne Christus ait, Omnem palmitem

in me, non ferentem fructum, tollet. Si quis in me non manserit, mittetur foras &c. Palmitem audis in uite, quasi membrum Christi, & tamen nihil secunditatis ex uite trahentem, id est, nihil spiritus ex Christo accipientem, quem pater agricola tollet &c. Hinc & Ioannes dicit non de uulgaribus Euangelij discipulis, sed de illis, qui doctores esse incipiunt contra sanam Christi doctrinam, ut nunc nostri sectarij. E nobis, inquit, profecti sunt, sed non erant ex nobis, Nam si fuissent ex nobis, permanfissent utiq; nobiscum, sed ut manifesti fierent, quod non sint omnes ex nobis. Insipientia enim eorum, ut Paulus alibi ait, nota fiet omnibus hominibus. Et ut Psalm. habet, Non permanent impij in iudicio, neq; peccatores in consilio iustorum.

Et quid attinet multis agere, quando Paulus etiam de corpore Corinthiorum siue Corinthiae Ecclesiae sic dicit, Oportet etiam sectas in uobis esse, ut qui probati sunt manifesti fiant? Ex his facile uidet, ut supra dixi, quid hic agat Paulus, nempe ut non eant ad mensam demoniorum, qui solent omnes accedere ad mensam Christi, ne participes siue communicatores panis & poculi Domini Christi, (quae est participatio siue communicatio corporis & sanguinis eius) fiant quoq; participes demoniorum, edendo & bibendo inter cultores idolorum, quae sunt idolis immolata, ne ab

his sacratissimis ceremonijs Christi, id est, externo cultu Christi, quem ipse in sui commemorationem instituit, ubi credimus & agimus omnia, quæ ipse dixit & iussit, & præterea nihil, Qui aliud hic agunt aut credunt, quam in Christi institutione nobis præscriptum est, ipsi uiderint, ne, inquam, ab his eant ad impiissimas gentium ceremonias, quibus idola coluntur, & eodem ore prophanent Christi sacra mysteria, quæ ipse suis discipulis tradidit edenda & bibenda, quo prophana hauserunt gentium Sacramenta. Vnum corpus sunt, quia ex uno Christi pane, quem inter nos frangimus, qui est participatio corporis Christi, de quo Christus dicit, Hoc est corpus meum, quod pro uobis frangitur, omnes participant, quemadmodum omnia corporis membra naturaliter ex uno cibo uicitant. Ideo in hoc corpore & una congregatione sese contineant, & non diuidantur idolis, timeant Dominum Christum, quem non est tutum prouocare, non enim sumus illo fortiores.

At hic excusant dicentes, Reuera Paule, quod ad scientiam atq; adeo conscientiam nostram attinet, nos fugimus à simulachrorum cultu, Nam tametsi asidemus mensæ idolorum cum gentilibus, & edamus de cibis eorum, tamen non colimus idola, neq; edimus aut bibimus ut idolis immolata. Corda nanq; sunt libera, quod conscientiam habemus, idolum esse nihil in mundo

in mundo, neq; cibum aut potum, qui illic sumitur esse aliud quam creaturam Dei bonam.

Amici nostri, uicini & ciues nostri sunt, in quorum gratiam ista cum eis edimus, qui alioqui nos inciperent odisse & persequi, nostra culpa, ut qui deficeremus ab eis propter rem nihili. Quomodo itaq; hoc modo coleremus idola, quæ scimus esse nihil? quomodo obesset cibus aut potus, quem scimus creaturam Dei esse bonam? tancum incommoda fugimus, quæ nobis obuenerent inter gentes, si non eis in his rebus nihili seruiremus. Non igitur propterea sumus participes immolationis impiæ, quia ex ea edimus, Siquidem scimus nihil aliud esse eum cibum, & creaturam Dei bonam, etiam si gentes sexcenties sua uanitate & stulticia idolis immolarint, Nobis à Deo ille cibus datus est ad sumendum cum gratiarum actione, non gentibus ad immolandum &c.

His sic abutentibus Christiana libertate respondet Paulus, quæ legis in eadem Epistola capite 8. & hic, Recte, inquit, dicitis idolam esse nihil, & illam immolationem esse uanam, nemo ex nobis aliter sentire debet, sed tamen non ignoratis, quod quæ gentes immolant, non Deo immolant, sed demonijs, Huic impio cultui interestis, non contradicitis, sed factò etiam ipso uestro approbatis. Horrendum q̄ rui nam hic paretis imbecillioribus Christianis uestro hoc factò offensis, pro quibus tamen Christus mortuus est, &

est, & præterea gentes quid interim de uobis sentire possunt, quàm quod cum ipsis colitis idola, ut cuncti sciant uos præterea habere alium Deum quendam Christum, id quod apud eas licet, nempe ut singuli habeant singulos deos? Quomodo non estis participes siue communicatores idolorum atque adeo demoniorum, qui participatis siue communicatis, hoc est, editis cum alijs & bibitis in publico idololatriæ loco, demonijs, id quod non ignoratis, immolata?

Videte Israellem secundum carnem, Nonne qui legales edunt uictimas, Deo uero, secundum præscriptum legis ut olim, aut secundum opinionem Iudaicam ut nunc, post reuelatum Euangelium, oblatas, participes sunt altaris domini Dei, quale quale illud sit pro tempore? Qui ibi participes sunt siue communicatores uictimarum, hoc est, qui ibi edunt uictimas, participes sunt & cultus illius Dei, qui ibi qualiter qualiter pro tempore colitur.

Sic & qui participes siue communicatores sunt eorum, quæ idolis immolantur, immo demonijs, hoc est, qui edunt ea cum alijs idololatriæ in publico idololatriæ loco & idolorum altu, participes & communicatores sunt etiam illius publici cultus demonum atque adeo demonum ipsorum, Nemo enim neque piorum neque impiorum de eis aliter sentire potest, & ipsi hoc publico facto fatentur & confirmant, ut cuncti enim

enim talia interim rideant in corde, & nihil esse sciunt, tamen non sunt nihil quæ ipsi ibi faciunt, seducunt ipso scandalo alios, aut saltem offendentes, & ipso facto Christum abnegantes, communicatores facti eorum, quæ sunt demonijs immolata, & per hoc consortes & publici communicatores demoniorum, recedentes & sese diuidentes ex illo uno corpore, in quo cum alijs Christianis solent participare ex uno pane Christi.

Nolim autem, inquit, uos communicatores esse demoniorum, Non licet simul bibere poculum Domini & poculum demoniorum, mensæ Domini participes esse & mensæ demoniorum. Communicatores demoniorum sunt, qui edunt & bibunt demonijs immolata, nihil moror, quod quidam in occulto rident impiam superstitionem, quando interim se publice admiscunt, Nam Christus dicit, Qui me negauerit coram hominibus &c. quicquid interim sentiat in corde. Quemadmodum communicatores Dei olim in lege Moysi erant, qui edebant & bibebant Deo immolata, sicut dictum est Leuitis & sacerdotibus, Deute. 18. Non habebunt sacerdotes & Leuitæ, & omnes qui de eadem tribu sunt, partem & hereditatem cum reliquo populo Israel, quia sacrificia Domini & oblationes eius comedent, & nihil aliud accipient de possessione fratrum suorum, Dominus enim ipse est hereditas eorum

eorum, sicut locutus est illis. Alij quoq; Israelitæ, ex spontaneis suis oblationibus partem edebant, participes interim Dei, quando oblata deo edebant.

Communicatores uero Christi sunt, qui sibi communicant aut participant quæ Christus instituit, id est, qui edunt panem non uulgarem, sed Domini Christi, de quo ipse dicit, Hoc est corpus meum, & bibunt poculum non uulgare, sed Domini Christi, de quo ipse dicit, Hic est sanguis meus &c. Hæc est communicatio corporis & sanguinis Christi, propter quam sumus communicatores Christi, quia participes siue communicatores edendo & bibendo sumus, eorum quæ Christi sunt, & quæ ipse instituit, sicut illi communicatores sunt demoniorum, quia edendo & bibendo participes siue communicatores sunt eorum, quæ demonijs sunt oblata.

Quis igitur non uidet hoc loco communicationem corporis & sanguinis Christi externam esse, qua communiter edimus & participamus corpus Christi, dum panem Christi, quem frangimus edimus, de quo pane ipse dicit, Hoc est corpus meum, quod pro uobis frangitur, & qua communiter bibimus sanguinem Christi, dum poculum benedictum, cui nos benedicimus, bibimus, de quo ipse dicit, Hoc poculum nouum Testamentum est in meo sanguine &c. Nam dicit, Ipse panis externus, quem nos externi ministri, uel nos externi inter nos Christiani, externe frangimus siue distribuimus

distribuimus, aut nobis inter nos externe communicamus, ad externe edendum, sed in Christi commemorationem (tanta uerborum crassitie opus nobis est, aduersus illos, qui hoc loco ad hoc solum sunt spiritualissime spirituales, ut regent, quod Christus certissimis uerbis instituit, nempe panem Christi, quem frangimus & edimus, esse corpus Christi) Ipse, inquam, panis quem frangimus, nonne communicatio siue fractio siue distributio Christi est? quoniã unus est panis quem frangimus, Nos multi in nos unum corpus & una congregatio Christianorum sumus, quales quales quidã in occulto coram Deo sint, quia omnes nos ex uno pane, quem frangimus, participamus, quæ participatio siue communicatio unius panis quem frangimus, est participatio siue communicatio corporis Christi, quando & Christus manifestè dicit de pane quem frangit, Hoc est corpus meum, quod pro uobis frangitur. At panis participatio externa est, ergo & participatio corporis Christi hic externa est, quando, ut ex Pauli uerbis uides, hæc duo in cena Domini secundum nos institutionem sunt idem. Est enim panis corpus Christi, ergo communicatio panis est communicatio corporis Christi, & poculum, cui benedicimus, est sanguis Christi, ergo communicatio poculi est communicatio sanguinis Christi.

Hic potest fieri quemadmodum supra diximus, ut aliquis communicet nobiscum in hac sacra Christi commemoratio-

commemoratione, corpore & sanguine domini, externa communicatione, id est, edat una nobiscum in una congregatione siue corpore Ecclesie nostrae, panem, qui propter Christi institutionem est corpus Christi, & bibit poculum, quod propter institutionem Christi est sanguis Christi, qui tamen interim interna communicatione, qua fideles coram deo in Christo sunt unum corpus spirituale, ut legis Ioann. 17. non communicet nobiscum, & non sit membrum Christi, (quemadmodum accidit tunc in illo corpore Apostolorum & discipulorum Christi, quando Iudas traditor Domini una cum alijs accipiebat sancta Christi Sacramenta, ut est in Euangelio Lucae) aut sit quidem membrum Christi praedestinatione, qui tamen nunc non habeat nobiscum internam communionem, propter praesentem culpam, sed inuitetur bonitate dei ad penitentiam, ideoque interim dum non cupit se emendare utcumque sit in corpore nostrae Ecclesiae, id est, non a nobis manifesto Ecclesiae iudicio excommunicatus, indignus etiam sit ista, de qua nunc dicimus, externa communicatione, etiam si communicet, id est, edat nobiscum panem, qui est corpus Christi, & bibit poculum, quod est sanguis Christi.

Nam propter maliciam humanam, non potest Christus negare ueritatem suae institutionis, Vbi autem ueritas huius institutionis non est, ut apud nostros Sacramentarios,

eramentarios, non mirum, si ibi non sint quae Christus instituit. Tolle institutionem Christi, & panis est panis, uinum uinum, Vbi autem institutio Christi seruatur, & ei creditur, ibi sunt uere quae Christus instituit, Si quidam non bene accipiant corpus & sanguinem Domini, in hoc Sacramento panis & uini, non est propterea accusandus qui instituit, neque neganda quae sunt instituta.

Sed neque uerendum, ne in hoc sacro mysterio corpus Christi aliquid mali patiatur. Siquidem Deus etiam suum solem facit oriri super bonos & malos, super aurum & stercus, Neque propterea accusandus est creator solis, qui instituit solem sic oriri, aut negandum solem esse solem, quia etiam sol suo splendore, calore, gloria & effectu se immiscet stercore, aut certe se permittit a stercore suscipi, & facit illud deterius tempore aestatis foetere. Quoniam uitium est in stercore, & nihil interim discedit gloriae solis, gratiae uero agenda sunt Deo, quod beneficium solis creaturis sub caelo in salutem datum, propter foetentem cloacam non aufert. Sic & hic non est aliquid nobis sentiendum contra hanc sacram institutionem, quia etiam indigni suscipiunt Christi Sacramenta, sed potius gratias agere debemus tanta dignationi, quae potius haec permittit ab indignis discipulis accipi, quam nos incertos fieri de sua, tam certis uerbis expressa, institutione.

H Sanctissimam

Sanctissimam nobis instituit sanctissimus institutor
Christus ceremoniam, cui nullæ humanæ possunt com=
parari, ut conuenientes ad hunc ritum sacrum, à
Christo nobis præscriptum, edamus Christi panem, qui
est eius corpus, & bibamus poculum, quod est eius
sanguis, quoties uoluerimus, donec ueniat, id est, usq;
ad nouissimum diem, in eius commemorationem, id
est, prædicantes & publice & mutuo inter nos, bene=
ficia mortis Christi, quemadmodum Paulus interpre=
tatur dicens, Quotiescunq; comederitis panem hunc
& de poculo biberitis, mortem Domini annunciate
donec ueniat.

Missarij qui interim ex tam sacro ritu nundinatio=
nem, aut aliud q̄ Christus præscripsit faciunt, & pro=
hibent laicis, quod ille instituit, nec iam reuelata ue=
ritati cedunt, ipsi uiderint, certe uidebunt quando
Christus apparuerit. Horrendum est, tam sancta insti=
tuta ad tantam potuisse peruenire prophanationem
& abominationem, faciunt ex Sacramento, quæ Chri=
stus non instituit, prohibent quæ ille iussit, quæ est
abominatio abominationum, digna quæ solo iudicij ex=
tremi die tollatur, nam erubescere canes insaturati
nesciunt.

Quin & nostri Sacramentarij, licet alij aliter,
hanc sanctissimam ceremoniam à Christo institutam
nobis auferunt, negantes panem quem secundum Christi
institutionem

institutionem edimus, esse corpus Christi, & poculum
eius sanguinem, Deinde ubi urgentur, faciunt eandem
nobis, si sequi uolumus, incertam. Aiunt enim, Christia=
ni quidem & credentes Christiani, immo recte cre=
dentes Christiani edunt ibi uerum corpus Christi, &
bibunt uerum sanguinem Christi, in uiuo uerbo Dei
per ueram fidem, Sed de his in fine dicam.

Non dubium itaq; est communicationem corporis
Christi, in hoc loco Pauli esse non illam spiritualem,
qua soli communicant, qui digne communicant, siue
semper credentes, ut infra dicam ex sexto capite Io=
annis, siue quoties uoluerint in congregatione Eccle=
siae nostræ (in qua multi sumus unum corpus) Sa=
cramentum hoc accipientes, sed illam potius, quam
uocant Sacramentalem, qua ob uirtutem uerborum &
institutionis Christi iubentis, ut ibi edamus panem,
quem ipse dicit suum esse corpus, & bibamus pocu=
lum, quod ipse dicit suum esse sanguinem, uere non
fictè in pane corpus Christi, & in poculo sanguinem
accipiunt, omneis qui accipiunt in nostro corpore, id
est, congregatione, siue digni siue indigni. Nam pa=
nem quem frangimus dicit esse hanc de qua dicimus
communicationem corporis Christi, & poculum, cui
benedicimus, communicationem esse sanguinis Chri=
sti, Et præterea dicit, Nos multos esse unum corpus,
propterea quod omneis ex uno illo pane, quem frangi=
mus, qui

mus, qui est communicatio corporis Christi, de quo Christus dicit, Hoc est corpus meum, quod pro uobis frangitur, participamus siue communicamus, siue digne siue indigne, quemadmodum sequenti capite quosdam indigne ad iudicium edere & bibere dicit, Et hoc certe loco indigne communicare dicit, qui a mensa & poculo Domini uadunt ad mensam & poculum demoniorum, a ceremonijs Christi ad ceremonias Satanae, a corpore Ecclesiae nostrae siue congregationis Christianae ad congregationem gentilium, quae est interim Satanae.

Ex his facile accipies & illud obiter, quid de uirtute concomitantiae, quam uocant, sentiam. Quod enim ad institutionis uerba attinet, panis est corpus Christi & non sanguis Christi, quia Christus dicit, Panis est corpus meum, & non dicit, Panis est sanguis meus, aut panis est Christus, aut panis est corpus meum & sanguis meus, & totum quod ego sum totaque trinitas. Et Paulus dicit, Panis quem frangimus est communicatio corporis Christi, non dicit, Corporis & sanguinis Christi, aut totius Christi, aut sanctae trinitatis, siquidem communicationem diuidit, ut alteram panis, id est, corporis Christi, alteram poculi, id est, sanguinis Christi dicat, & non confundit ista duo in unum, sicut neque institutio Christi ista duo confundit aut confundi uult, quemadmodum papistae
laicis

laicis suis istam confusionem persuadent contra Christi institutionem, quae iubet, ut ex alice bibatur. Sic et poculum, quantum ad institutionis uerba attinet, est sanguis Christi & non corpus Christi, quia Christus dicit, Poculum est sanguis meus, & non dicit, Poculum est corpus meum, aut poculum est Christus, aut poculum est sanguis meus & corpus meum, & totum quod ego sum, totaque trinitas. Et Paulus dicit, Poculum benedictionis, cui nos benedicimus, est communicatio sanguinis Christi, non dicit, Sanguinis & corporis Christi, aut totius Christi, aut sanctae trinitatis.

Et certe Christus diuidit hoc Sacramentum in commestionem & bibitionem, panem quem dicit suum esse corpus, iubet edi, & poculum, quod dicit suum esse sanguinem, iubet bibi, Contra praecipunt papistae non esse poculum bibendum, quemadmodum Christus iubet, sed quemadmodum ipsi contra Christum iubent, fingendum esse quod edendo panem, bibas, adeo profecit stulta praesumptio & impia traditio, ut iam cogant eam praeferi Christi institutioni. Edere & bibere apud eos hic idem sunt, quando Christi institutio idem esse nolit, sed iubeat etiam externe edere & bibere.

Hanc sententiam, ne meam solius aliquis putet, etiam Theologi Sophistae ante nos dixerunt, nempe quod ad Christi uerba attinet dicentis, Hoc est corpus me-

um, hic est sanguis meus, non bibere sanguinem quæ corpus edit, neq; edere corpus, qui sanguinem bibit.

Hæc est Sacramentalis comestio & bibitio, qua edunt & bibunt digni & indigni corpus & sanguinem Domini, Neq; hic sequendæ sunt cogitationes humane, num uinum corpus Christi possit esse absq; sanguine, quemadmodum corpus bouis uiuentis non potest esse absq; sanguine, & num etiam in calice sit corpus Christi, alioqui non sanguis sed cruor diceretur, Nam uana & stulta sunt istæ cogitationes, quas Christiana fides non sequitur, sed solum uerbum Christi dicentis, Panis est corpus meum, Poculum est sanguis meus, ideo omnibus alijs cogitationibus omisis, credit hic esse uerum corpus domini in pane, & uerum sanguinẽ Domini in poculo, siue, ne quis calumnietur, credit panem hunc uerum esse corpus Domini, & alicem Domini uerum esse sanguinem Domini, & hæc ipsa à Christo ita instituta, accipi à dignis & indignis.

Commemorationem mortis suæ uoluit Christus instituire, iussit ergo panem edere, quem pronunciat esse suum corpus, ut commemoramus siue inter nos prædicemus & doceamus corpus pro nobis in mortem traditum, & iussit bibere poculum, quod pronunciat esse suum sanguinem, ut commemoramus siue inter nos prædicemus & doceamus sanguinem eius effusum

effusum pro nobis in remissionem peccatorum nostrorum, ut dum uulgatur inter Christianos ista commemoratio, non audiantur interim pseudoapostoli & iusticiarij prædicatores, qui aliud ad salutem & absolutionem siue remissionem peccatorum necessarium prædicant, quam corpus Christi pro nobis traditum, & sanguinem pro nobis in remissionem peccatorum effusum, Vbi enim uerus usus huius Sacramenti ablati est ab Ecclesia, atque adeo per Papistas etiam nunc ut hereticus damnatus, quasi hereticum sit, quod Christus iussit & instituit, omnes sectæ perditionis inuoluerunt, & docuerunt quod quisq; uoluit, tantum iusticia Dei per Iesum Christum, quæ est uerum Euangelium, tacita est & tandem etiam damnata. Qui enim institutionem hanc canæ recte nouit ex Christi uerbis, nouit quæ sit uia salutis & remissio peccatorum.

Sunt ergo hic secundum uerba institutionis Christi uerum corpus & uerus sanguis Christi, de quo fides Christiana dubitare non potest, ad hunc usum solum, ut edatur & bibatur in Christi commemorationem, ad alium usum non dedit Christus, Quomodo autem hic sint corpus & sanguis Christi, credo neminem scire posse, neq; aliquem debere esse sollicitum ut sciat, quando ex uerbo Christi hoc non intelligitur, aut ut intelligamus iubetur, tantum credamus hic quod Christus dicit, & faciamus quod ipse iubet, &

Satis responsum est Christi institutioni .

Quod autem Sophista de concomitantia in hoc Sacramento, maxime panis qui est corpus Christi, dicunt, in iniuriam uidetur excogitatum institutionis Christi, ne laici accipiant calicem Domini, quando per concomitantiam, ut dicunt, accipiunt sanguinem Domini in pane. Ipsi hoc dicunt, Christus autem aliud.

Concomitantiam uocant, hoc modo dicentes, Tametsi in pane secundum formam uerborum Christi sit tantum corpus Christi, tamen ex concomitantia naturali, quando corpus non potest esse sine sanguine, est ibi etiam sanguis, atque eadem concomitantia naturali est ibi quoque anima Christi, quando uero corpus, sanguis & anima Christi, id est, Christi humanitas ita unita sunt diuinitati, ut separari non possint, consequitur eadem concomitantia ibi quoque esse Christi diuinitatem, & simul in pane esse totum Christum Deum & hominem, Præterea ubi filius est, ibi pater est & spiritus sanctus, ergo eadem naturali concomitantia in pane est Christus & simul tota trinitas. Taceo si quæ alia hac ratione dixerunt in pane contineri, propter quæ nuper Sacramentarij nos nullo nostro merito aut culpa irriferunt, siquidem impij rithmum apposerant cuidam libello Zuingliano, quasi nos præstare debeamus, quicquid quisque deliquerit, Hanc itaque uocauerunt

uocauerunt in pane concomitantiam, quam sine dubio etiam cogentur facere in uino siue poculo.

Quis nobis talia docere mandauit? naturales & innaturales consequentiæ & humane cogitationes hic nihil sunt, tantum spectandum est uerbum Christi, quicquid illud dicit, hoc tibi credendum, dicendum & docendum est, quicquid non dicit, uide ne dixeris, maxime ne dixeris in iniuriam uerbi Christi, quemadmodum hic factum est, ubi propter istam eorum concomitantiam negatus est calix Domini laicis, contra uerbum & institutionem Christi, quam nulli ne Angelo quidem mutare licet,

Eadem ratione alius negaret nobis panem, & diceret satis esse, si quis acciperet tantum calicem, quia naturali concomitantia haberet omnia in calice, etiam illa quæ Christus in calice non instituit, & sic liceret cuilibet nebuloni institutionem Christi pro libidine mutare, & facere inde quiduis, quemadmodum papistæ mutauerunt. Nam Christo dicente & iubente, Accipite, bibite ex hoc omnis, Hic calix nouum Testamentum est in meo sanguine &c. ipsi dicunt, Nolite accipere, nolite bibere, hæresis est Hussitica & Lutherana, etiam si tantum uelis bibere calicem Domini, & magno periculo fidei uestre sumpseritis calicem, Quod enim calicem bibere uultis ut inde Christi hauriatis sanguinem, certissimum signum est, quod non creditis

H S corpus

corpus in pane habere quoq; sanguinem.

Hic ubi interrogamus, quare ergo uestri sacerdotes, quorum magna pars indoctior & rudior est multis laicis, suscipiunt alicem? Respondent, ut est in decretis, hi debent suscipere totum Sacramentum. Fatur itaq; panem solum totum Sacramentum non esse, cur ergo negant laicis totum Sacramentum? qua auctoritate prohibent & damnant, quæ Christus instituit & dedit, nisi Antichristiana?

Hic iam uenit in mentem illius Episcopi, qui nuper publico edicto mandauit omnibus pastoribus suarum Ecclesiarum, ut diligenter docerent populum & inculcarent, quid contineatur sub pane, ut scilicet audientes, non ex Christo, sed ex humano figmento, ibi etiam contineri sanguinem, non cuperent sequi Christi institutionem, sed Episcopi illius sancti bonam intentionem. Doceat ille Episcopus in pane contineri quicquid uoluerit, etiam cælum & terram, quid hoc ad Christianos? Hoc uero exposulamus cum Episcopo illo, num Christo dicente, Accipite, bibite poculum quod est sanguis meus, ipsi liceat prohibere, Nolite accipere & bibere. Christus iubet, Episcopus prohibet, uter est audiendus? sed harum insaniarum plenus est mundus.

Audi itaq; si nondum audisti, Christus instituendo hoc Sacramentum, instituit commemorationem & annunciationem

annunciationem mortis suæ, ideoq; dedit nobis edendum panem corpus suum, & bibendum poculum sanguinem suum, in commemorationem siue annunciationem corporis in cruce pro nobis traditi, & sanguinis pro nobis in remissionem peccatorum effusi. Hoc corpus itaq; & hoc poculum in hoc Sacramento, sic certo tradidit suæ Ecclesiæ edendum & bibendum, ut etiam interim quidam in nostro corpore siue congregatione nostræ Ecclesiæ accipiant indigne ad iudicium, rei facti corporis & sanguinis Domini, quæ eius institutio & uerbum propter nostram maliciam mendax esse non potest, ne propter quorundam impietatem alij dubij fierent de ueritate institutionis. Propter pios sustinet Dominus Christus hanc impiorum erga corpus suum & sanguinem iniuriam, ita tamen ut in Sacramento, Alioqui ipse nihil patitur, ut neq; quando editur corpus eius & bibitur sanguis eius in hoc Sacramento à dignis, ita neq; quando editur & bibitur ab indignis.

Corpus ergo edere & sanguinem Christi in sacramento bibere, licet non debeant, tamen possunt indigni. Ut autem edant & bibant totum Christum & totam trinitatem, quis indignis permiserit? Præter ea quæ in hac institutione Christi expressa sunt, nemo hic aliquid asserere debet. Si non a patris tua ratione, quod panis est communicatio corporis Christi & non sanguinis, & poculum communicatio sanguinis Christi
& non

Et non corporis, aut si mauius, q̄ panis est corpus Christi & non sanguis Christi, & poculum sanguis Christi & non corpus, Da gloriam Christi institutioni, quæ dicit panem esse corpus & poculum sanguinem, & iubet corpus edi & sanguinem bibi in Christi commemorationem. Quid enim nos sumus, ut immutemus, ut non dicam prohibeamus, quæ Christus Dominus maiestatis instituit & iubet? An impune hoc faciet puluis & cinis?

Ne uero omnino abijcere uidear concomitantiam illam, distinguo. Indignus tribuo concomitantiam quamdam peccati & damnationis, Nam si quis peccat in hoc Sacramentum, peccat etiam in totum Christum & totam trinitatem, Dignus uero tribuo cōcomitantiam quandam gloriæ dei & salutis, Nam si quis digne comunicat, quacumq̄ parte apprehenderit Christum, siue in Sacramento (modo sic accipiat, quemadmodum Christus instituit) siue extra Sacramentum spiritali manducatione, apprehendet simul totum Christum & totam trinitatem, iuxta illud, Qui diligit me sermo nem meum seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum uenimus, & mansionem apud eum faciemus. Quam concomitantiam etiam suscipies, ubi tantum suscipis aliquem Euangelij Christi prædicatorem, quæ admodum dixit Apostolis, Qui uos suscipit, me suscipit, & qui me suscipit, suscipit eum, qui me misit.

At quid suas concomitancias producant contra rationem

rationem huius Sacramenti, quod digni & indigni accipiunt? ex quo nulli uel angeli uel homines debent aliud suis doctrinis facere, quam quod Christus instituit. Sileat humana præsumptio, & det gloriam uerbo Christi.

Hæc omnia quæ iam dixi de illa, contra institutionem Christi excogitata, concomitantia, Nam non dixit, Bibite panem qui est sanguis meus, edite poculum quod est corpus meum, uel, Edite & bibite panem qui simul est corpus meum & sanguis meus, sed longe aliter, Ausit enim edi panem corpus suum, & bibi poculum sanguinem suum, & tu quis es, qui solum edendum putas, bibendum autem prohibes, & ut hereticum damnas? quo iure? qua autoritate? certe contra uerbum Christi, ex doctrina Antichristi, quæ sunt secundum Paulum doctrina demoniorum. Hæc omnia, inquam, quæ iam dixi, licet πῶς ἕργα uideantur, tamen quis non uidet ad illam externam, quæ in Sacramento fit corporis & sanguinis Christi, communicationem pertinere, de qua Paulus dicit, Panis quem frangimus &c.

At iam dudum ex isto Pauli loco audio nobis obijci, Idolis immolata non sunt ipsa demonia substantialiter, & tamen Paulus dicit, edentes esse consortes uel communicatores demoniorum, ita nec panis & uinum in cena sunt corpus & sanguis Christi substantialiter

tialiter & realiter, licet Paulus dicat, Panem quem frangimus esse communicationem corporis Christi. Hæc & similes ineptias nobis obijciunt, quasi uero Paulus non statim sese exponat dicens, Non potestis poculū domini bibere & poculum demoniorum, Non potestis mensæ Domini participes esse & mensæ demoniorum. Participatio mensæ Domini est participatio corporis Christi, Participatio mensæ demoniorum est participatio idolothytorum, Quæ participatio sine dubio est demoniorum, sicut illa Christi, Satan enim eius autor est, sicut illius Christus.

In mensa demoniorum sunt quæ demonijs & non Deo immolata sunt, In mensa Christi ipse Christus nobis edenda & bibenda frangit siue distribuit & effundit, quæ olim in cruce Deo patri pro nobis obtulit, in odorem suauitatis. Ipse enim per sanguinem suum fecit nos Deo patri reges & sacerdotes, Idcirco ipse sacerdos æternus nobis, ut sacerdotio sancto, generi electo, regali sacerdotio & sacerdotali regno, sua sacrificia, quæ ipse sacerdos placator Dei & propiciatorium nostrum in cruce perfecto sacrificio semel consecrauit, nobis offert, ut semper fide incorporemur eius corpori & sanguini, quemadmodum dicam ex Ioanne. 6. & quoties uoluerimus in corpore nostro siue in congregatione nostræ Ecclesiæ, secundum institutionem eius in Sacramento sumamus, tantum uidend-

tum uidendum, ne in Sacramento quis indigne sumat, extra enim hoc Sacramentum nemo indigne sumere potest.

Vt cumq; uero ista acceperis. Paulus certe participationem corporis Christi in cæna, & participationem panis pro eodem accipit. Panis, inquit, quem frangimus, nonne cõmuniatio siue participatio est corporis Christi? & omnis ex uno pane, quem frangimus, participamus.

Si autem hic audire nolueritis, quod nihil aliud hic agitur, quam ne inquinemur cultu idolorum in illa manducatione & bibitione, qui solent ire ad Domini mæsam, & urgere cæperis secundū capitis tui somnia, quasi omnia debeant esse similia in utraq; mensa, & Domini & demoniorum. Primum facies contra rationem fere omnium similitudinum, in quibus non omnia quidem respondere necesse est, sed ea solum, propter quæ illæ assumptæ sunt. Deinde resistit hic tibi manifeste Paulus, dicens non se uelle hic omnia esse similia, Nam idolum, inquit, nihil est, & simulachris immolatum nihil est, id quod non potes dicere de pane & uino in cæna, nempe quod nihil sint, Impium enim fuerit dicere esse nihil, quæ Christus instituit.

Credo quod isti alumnatores, qui & anxie & ridicule quæerunt, quod manifesto uerbo Dei obijciant, tandem nos coacturi sunt, ut fateamur etiam demonia dixisse

dixisse in illo cultu publico de idolothytis, Hæc sunt corpora nostra, Hic est sanguis noster, sicut fatemur Christum dixisse, Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus, quia omnia, ut aiunt, hic debent esse similia, ut cunq; hæc sint impia, illa pia. Vides quæ stulta, quæ ridicula hic possem istis calūniatoribus objicere, usus ipsorum iure, si ineptire uel liberet uel liceret in his serijs rebus.

Totius Capitis decimi illic in Paulo sententia est, Ne prouocemus aut iritemus Dominū, ne fortior ille nos damnet. Prouocant qui contemnunt eum, euntes ad cultum illum idolorum, per libertatem illam, quæ omnia aliōqui licet edere. Prouocant & qui concupiscentias suas & supra sequuntur, & qui obdurantur contra Dei uerbum, tentantes Christum & obmurmurantes diuinæ uoluntati, quemadmodum Iudæi infideles in deserto, & interim contemnunt ista, quasi nihil contra Deum faciant, atque adeo interim gloriantur sese esse Christianos & Euangelicos, quia Euangelium audierunt, Sacramenta Christi susceperunt, literas sacras legunt, in populo Dei habentur, quemadmodum illi Iudæi iactitantes se esse filios Abrahæ, Dei populum, quos eduxisset Dominus ex Aegypto per mare rubrum, pauisset Manna, potasset ex petra &c. Sed exempla perditionis eorum nobis scripta sunt, ne similiter pereamus, si cum contemptu ceperimus agere in conspectu Domini, Nam aliud est de
illis

illis, qui ex ignorantia aut fragilitate peccant, qui agnoscunt peccatum, & ueniam atq; remedium serio respicientes postulant à patre per Iesum Christum Dominum nostrum. Hæc fere est summa illius Capitis. Interim & alio argumento detterret à simulachrorum cultu, nempe hoc, Indignum est ut qui ad mensam Domini solent accedere, accedant etiam ad mensam demoniorum, ex nostro corpore ad corpus gentilium, ex nostra unitate ad illorum dispersionem & Satanæ confusionem &c.

EPILOGVS.

Sed iam satis diximus hoc libro nostro de nostra consecratione, id est, unde fiat ut in eana edamus panem corpus Domini, & bibamus poculum sanguinem eius, nempe ex institutione Christi iubentis, ut hic edamus corpus suum & sanguinem bibamus. Qui hoc iussit & instituit, suæ institutioni deesse non potest, modo hic credamus quod ipse dicit, nempe panem esse corpus eius, quod pro nobis frangitur, & poculum sanguinem, qui pro nobis effunditur in remissionem peccatorum, & faciamus quod ipse iubet, nempe ut edamus & bibamus in ipsius commemorationem. Hæc est tota ratio huius Sacramenti, cui non licet addere uel demere aliquid, quo institutio ipsa immutaretur. Hæc nos accepimus ex uerbis & institutione Christi, quæ nobis non obscuris aut enigmatis
1 cis uerbis

eis uerbis scripserunt **Matthaeus, Marcus, Lucas & Paulus.** Ex quibus hic etiam sic scribit, **Ego accepi à Domino quod & tradidi uobis &c.**

Neq; moramur hic ministrum aliquem huius Sacramenti, etiam si incidamus in Iudam aliquem, non enim propter bonitatem ministri uerax est haec Christi institutio, neq; propter maliciam mendax. Christus dat nobis hoc Sacramentum, & nostra fides accipit, illi soli non habent hic corpus & sanguinem Christi, qui negant hic ea esse, contra Christi uerbum.

Vt enim hic sit corpus Christi edentibus, & sanguis bibentibus, uel ad edendum & bibendum, satis est credere Christum non mentiri, sed uerum dicere, quando dicit, Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus. Vt autem digne edas & bibas, fiducia efficit, qua credis remissionem peccatorum per Christi mortem & sanguinis eius effusionem. Pro nobis nunc etiam in mensa frangitur corpus Christi, uide ne contra te accipias, quod pro te tibi datur,

Non igitur posthac obijciant nobis scortatores, adulteros, usurarios & alios, ut faciant nobis corpus Christi, quando neq; sanctos, castos, pios dicimus nobis facere corpus Christi. Christus sua institutione iubet & instituit, ut edamus corpus suum & sanguinem bibamus, credentes panem quem secundum institutionem eius edimus esse corpus eius, quia dicit, Hic panis quem

quem iubeo edere est corpus meum, & poculum quod secundum institutionem eius bibimus esse sanguinem eius, quia dicit, Hoc poculum unde iubeo bibere omnibus est sanguis meus, quemadmodum & Paulus dicit, Poculum benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? & panis quem frangimus, nonne communicatio corporis Christi est? Ideo non homo aliquis, neq; sanctus neq; peccator, facit hic nobis corpus Christi, quod nisi Christus hic suo uerbo faceret & nobis consecraret, nemo faceret siue consecraret.

Si quis tamen propter ministerium nostrum, quo institutionem Christi nomine Christi, ut ministri Ecclesiae nostrae, in conuentu illorum qui esuri sunt & bibenturi, pronunciamus, & mortem Domini commemoramus, praedicantes nostri redemptionem, & Sacramentum damus, dixerit etiam nos consecrare Sacramentum corporis & sanguinis Christi, pie dixerit, modo interim praeter ministerium nihil tribuat homini, & praedicetur Christus Dominus esse institutor & dator sui Sacramenti, cui placuit insigni erga nos amore, non osculandum solum prebere suum corpus & sanguinem, per quae nos redemit, sed etiam in sua mortis commemorationem edendum & bibendum, eo modo quo non solum possemus accipere, sed etiam libenter acciperemus, Nam etiam Paulus ministeria nostra expressit, quando dixit, Cui benedicimus, quem
1 • frangimus.

frangimus. Vbi ut Zuinglius ineptit, si legendum est, Calix benedictionis quo benedicimus, legamus etiam, Panis quo frangimus.

Ad hæc, ut propter ministros indignos non aufert nobis sue institutionis ueritatem, ita neq; propter conuiuas indignos. Edunt enim quidam & bibunt indigne corpus & sanguinem Domini, id quod dicit Paulus, & Christus sic dicit in Luca. Veruntamen manus tradentis me mecum est in mensa. Et Marcus dicit, Biberrunt ex eo omnes, in quibus sine dubio erat & Iudas, Nam q. quidam doctorum ueterum Iudam tunc non adfuisse scribunt, sed antea abiisse, Euangelium Luca non permittit esse uerum. Nam sicut Iudæis Manna e cælis & aqua ex petra erat communis, licet erga plures illorum non erat beneplacitum Deo, ita nobis & bonis & malis communis est panis, existens corpus Christi, & poculum existens sanguis Christi.

Adeo certam uoluit Christus suam Ecclesiam esse de hac institutione, ut etiam indignis permittat edere & bibere, quæ ipse instituit, ne dubitarem, qui in nostro corpore, id est, conuentu ederent hic & biberent Christi corpus & sanguinem, alioqui disceptatio fuisset perpetua, Hic edit corpus Christi, forte non edit, quia si dignus est edit, si non dignus non edit &c. id quod fuisset nihil instituisse.

Edunt

Edunt autem indigni uerum corpus Christi, id quod & credunt hic esse propter uerbum Christi dicentis, Hic panis est corpus meum, & bibunt uerum sanguinem Christi, quem hic credunt esse propter uerbum Christi dicentis, Hoc poculum est sanguis meus, sed edunt & bibunt in Sacramento, in hoc sacro mysterio, ubi solum uerbum Christi efficit, ut panis sit nobis corpus Christi, & poculum sanguis, ne quid intetim suspiceres humana cogitatione, quasi corpus Christi & sanguis hic aliquid patientur, siue a dignis siue ab indignis comesta & bibita.

Hic exclamabunt, Si Pomeranus intelligeret hic sua uerba, negaret nobiscum, hunc panem esse corpus Christi, quia dicit, hic corpus Christi & sanguinem Christi esse & edi & bibi, sed in Sacramento. Hic licet me satis explicem & plus quàm satis, id est, multis uerbis sæpe repetitis, tamen non audiunt, Veteres doctores sic locuti sunt, nec tamen negauerunt panem hunc Domini esse corpus eius, & poculum sanguinem. Sic & nos loquimur ut hactenus consueti sumus.

Si tibi displicent uel ueterum uel nostra uerba, & non pateris nos uti uocabulo Sacramentum & alijs, abijce uerba ueterum, abijce & nostra, modo integra nobis relinquis uerba Christi, ex quibus ueteres ut & nos dixerunt panem Domini esse corpus eius, & poculum

I 3 culum

culum sanguinem, non enim de humanis uerbis nunc contentio est, siue ueterum siue nostris, sed de uerbo Christi sine quo libenter tibi permitterem panem nihil aliud esse quam panem. Si quid uero in uerbis ueterum aut nostris offenderis, unde uel per calumniam uel etiam uere posset negari, quasi in cena Christi non sit panis corpus eius & poculum sanguis, pereant uerba humana & sint nihil, ne per ea negetur ueritas institutionis Christi, Nulla autoritas in Ecclesia debet ualere contra uerbum & autoritatem Christi.

Veteres quaedam in hac causa liberius dixerunt, maxime Augustinus, quia tunc nulla hac de re erat contentio, sed tamen multis ac manifestissimis uerbis in alijs locis confessi sunt corpus Domini & sanguinem edi & bibi in cena a dignis & indignis. Lege ueteres omnes & ita inuenies.

Tunc & apud haereticos ita indubitata erat ista sententia, ut saepe ex uerbis institutionis Christi cogere-
rentur a catholicis suscipere contra se argumeta.

Et iam dudum post tempora Apostolorum inter gentes saepe accusati erant Christiani, quasi secretis conuenticulis ederent humanam carnem, uel infantis alicuius, & humano sanguine litarent, id quod bis legis in historia Ecclesiastica, & uidere licet in Apologetico Tertulliani, id quod ex fama huius ab eis celebrati

lebrati Sacramenti accidisse non dubito, donec etiam apostata Auerrois scriberet, Non esse Christianis alium quem nequiores in terris populum, quod quem deum colerent deuorarent, id quod alius populus nunquam fecisset.

Ego fateor hic esse uerum corpus Christi, non imaginarium, non fictum aut mendax, quia Christus dicit, Hoc est corpus meum, & illud ipsum edi secundum Christi institutionem & iustionem, Quod autem Sacramenti & mysterij mentionem facio ut & ueteres, significo panem quidem esse uerum Christi corpus, & uere edi propter uerbum & institutionem Christi, sed inuisibiliter, insensibiliter (nisi attendas ad externum Sacramentum siue signum panem & uinum, quae sunt corpus & sanguis Christi) incomprehensibiliter, ita ut non uideatur ibi esse corpus Christi, neque sentiatur neque intelligatur nisi fide uerbi Christi.

Alioqui nullus sensus capit, nulla ratio intelligere potest, quod panis est corpus Christi & poculum sanguis, & si est corpus Christi & sanguis, quod possit edi & bibi uel a dignis uel indignis absque sui incommodo, & tamen utrunque habet institutio Christi, cui non credere impium est, dicit enim, Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus, Edite & bibite, nihil ueritatis ne percat corpus comestum aut sanguis bibitus,

eui nihil incommodi accidere potest, nisi q̄ indigne fert ab indignis edi & bibi.

Verbum Christi hic efficit ut sit corpus & sanguis Christi, & ut edi corpus & sanguis bibi possit, De hoc non est dubitandū, nam ita esse & ita fieri atq; de bere fieri, uerbum Christi exprēsit, quomodo autē sit aut commode fiat, ut seorsum corpus edatur, seorsum sanguis bibatur, sine sui incommodo, nemo scire aut intelligere potest, Nam quando (id quod nemo negare debet) hic omnia pedent ex uerbo Christi, nemo scire potest, quod suo uerbo Christus non exprēsit.

Itaq; contra omnia absurda quę rationi humane uidentur, danda est hic gloria uerbo Dei, ut in omnibus fidei articulis. Omnia hic intelligimus dum credimus omnia quę hic Christus dicit, & facimus omnia quę hic iubet. Ceterum neq; credendo neq; faciendo neq; omittendo contra huius institutionis rationem aliquid tentandum est. Sed hæc obiter contra illos exclamatores.

Impietas Sacramentariorum negat & aliò uiolenter detorquet, quod Christus dicit, Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus. Impietas autē Papiistica mutat quod Christus ordinauit & instituit, neq; mutat solū aliud inde faciens, sed etiam prohibet & hereticū esse declarat. Christus iubet edere & bibere in sui commemorationē, illi autē iubent sacrificare pro uiuis &

nis & defunctis, etiamsi solus sacrificulus edat & bibat, & nemini det ad edendum & bibendum, ut cunq; uerbis Christi dixerit, Accipite, edite, bibite omneis. Christus iubet de poculo externo, dicens, Bibite ex hoc omneis, Hic est sanguis meus, Illi autem iubent laicos non bibere, nisi uelint esse heretici & damnati.

Concomitatoribus uero illis, id est, qui sua concomitantia, quam ex humana ratione uerbo Dei permittent, confirmant impietatem illam, quę damnat & prohibet quod Christus iubet, ordinat & instituit, illis inquam dicimus, Simant nobis integram hanc Christi ordinationem & institutionem, quam non licet neq; Angelis neq; hominibus mutare, & interim suas cogitationes sibi habeant, relicto nobis uerbo Dei.

Nam fateri debemus hunc panem & poculum Domini, id est, corpus & sanguinem Christi in Sacramento, quod Christus nobis sua institutione consecrauit, edi & bibi etiam ab indignis, totum autem Christum edere & bibere & totā trinitatem per illam concomitantiam, indignos negamus, Siquidem totum Christum edere & bibere & totam simul trinitatē, est Christo ueraciter incorporari & Deo uniri, de qua manducatione infra dicemus ex Ioan. 6.

Hoc autem negare non debemus, quod per concomitantiam

mitantiam, qui indigne accipit hic corpus & sanguinem Domini, non solum reus erit corporis & sanguinis Domini, sed etiam totius Christi & totius trinitatis, atque adeo reus lesæ maiestatis diuinæ, ut discant misatores nostri timere iudicium Dei, & omnes Christiani respondere huic sacræ institutioni, maxime ne quid contra eam doceatur. An prouocamus Dominum? num fortiores illo sumus? Quemadmodum & hoc fatemur, quod per concomitantiam, qui digne accipit hic corpus & sanguinem Christi, particeps & consors erit totius Christi & totius sanctæ trinitatis, non ui Sacramenti, quod est corpus & sanguis Christi, sed ui dignæ communicationis, quæ fidei est siue fidei in Christum.

Hanc concomitantiam si docerent, nihil derogarent sacræ Christi institutioni, immo eam honorarent. Maledicta uero doctrina & omnis cogitatio humana, quæ hoc agit quacunq; tandem specie, ut uel negatur uel mutetur, ut non dicam damnetur & hæreticum iudicetur, quod Christus iussit & instituit, Amen.

Nunc uero postq̄ nostra ex uerbo Dei confirmauimus, cur non uel paucis etiam indicemus pios homines & doctores, eadem olim & sensisse & docuisse? non quod autoritate humana nitamur in rebus fidei nostræ, sed ut uideamus illos eadem nobiscum sensisse in hac causa ex eodem Dei uerbo.

uerbo. Quicquid enim uel ab illis uel à nobis sine uerbo Dei dicitur aut ex uerbo Dei male intellecto, esto nihil, pereat, sola Dei ueritas manet in æternum,

Quod beatus Cyprianus martyr pro sua rebaptizatione nimium tribuerit ministris Ecclesiæ, & alicubi Hieronimus, satis dilucide ostendemus scribentes in Epistolam ad Corinthios, Nam ut uerbum, quod prædicare debemus, non nostrum sed Dei est, ita & Sacramenta, quæ dare nos oportet, non nostra sunt, sed Christi instituentis & dantis.

Id quod Augustinus fatetur his uerbis, contra Epistolam Parmeniani, libro 2. cap. 10. Omnia Sacramenta cum obsint indigne tractantibus, profunt tamen per eos digne suscipientibus, sicut & uerbum dei testatur, Quæ dicunt facite, quæ autem faciunt facere nolite, Nam etsi apud Christianos sint aliqui prepositi uel ministri, qui per impietatem & iniquitatem suam mortui sunt, uiuit tamen ille de quo dictum est, Hic est qui baptizat, quia Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur &c.

Et cap. 11. Cum, inquit, Parmenianus probare uellet carnales homines non posse spirituales filios procreare, addidit ex Euangelio testimonium, Quod natum est ex carne caro est, & quod natum est ex spiritu spiritus est, quasi nos dicamus per seipsum quemlibet hominem

spirituales

spirituales filios generare & non per Euangelium, in cuius predicatione spiritus sanctus operatur ad gignendos filios, quemadmodum Apostolus non solum dixit, Ego genui uos, sed etiam addidit, In Christo Iesu per Euangelium, Euangelium autem sur quoq; Iudas sine detrimento fidelium predicauit.

Et de baptismo contra Donatistas libro. 5. cap. 20. Deus, inquit, dat, etiam homicida, id est, eo qui odit fratrem baptizante, spiritum sanctum.

Et in Psalmum decimum scribens ait, Christus eundem traditorem suum, quem diabolus nominauit, qui ante traditionem Domini nec loculis dominicis fidem potuit exhibere, cum ceteris discipulis misit ad predicandum regnum caelorum, ut demonstraret dona dei peruenire ad eos qui cum fide accipiunt, etiam si talis sit per quem accipiunt qualis Iudas fuit.

Et rursus, Nam, inquit, si dantis & accipientis est meritum, sit dantis Dei & accipientis conscientiae meae. Haec enim duo non mihi incerta sunt, bonitas illius & fides mea. Quid te interponis, de quo certum scire nihil possum? Sine me dicere, In domino confido &c.

Chrysostomus quoq; Homilia. 51. in Matth. capi. 14. sic ait, Tangamus ergo etiam simbriam uestimenti eius, immo uero totum, Ipsum enim si uolumus, non uestis

uestis solum, sed corpus ipsius nobis propositum est, non ut tangamus solummodo, sed ut comedamus & saturemur. Adeamus igitur Christum singuli agrotantes magna cum fide, Nam si qui simbriam uestimenti eius tunc tetigerunt, recte omnes conualuerunt, quanto magis corroborabimur, si totum in nobis habuerimus? Cum fide autem accedere, non est ut tantummodo propositum corpus accipias, uerum etiam multo magis ut mundo corde tangas, ut sic ad eas quemadmodum ad ipsum Christum. Quid enim si uocem eius non audis? nonne uides iacentem, immo uero & loquentem per Euangelistam ipsum audis, Credite igitur omnes quod etiam nunc illa cena celebratur, in qua Christus ipse recumbebat, Nihil quippe interest inter illam & hanc, non enim haec ab homine, illa ab ipso conficitur. Quando igitur sacerdotem corpus tibi prebere uideris, noli sacerdotis, sed Christi manum ad te porrigi arbitrari, Nam quemadmodum in baptismo non a sacerdote baptizaris, sed a Deo apud tuum uirtute inuisibili tenetur, non ab Angelo, nullus enim prorsus id facere potest, ita etiam nunc. Cum enim homo regeneratur solius dei hoc munus est. Nonne uides eos qui post hanc uitam sibi filios adoptant, quomodo nullo pacto rem seruis committunt, sed ipsi praesentes in iudicio cuncta peragunt? Sic Deus non Angelis hoc munus commisit, sed ipse praesens iubet ac dicit, Ne uoces patrem in terra, non ut parentes contemnas, sed

nas, sed ut omnibus illum anteponas qui te creauit & adoptauit. Qui enim maius, id est, animam suam pro te posuit, quare dedignabitur suum tibi tradere corpus? Audiamus igitur tam sacerdotes quam alij, quae magna, quam admirabilis res nobis concessa est. Audiamus oro & perhorrescamus, Carnes suas nobis tradidit, se ipsum immolatum proposuit &c. Hactenus Chrysostomus. Atque haec interim de uerbi & Sacramentorum ministris.

Ceterum quod hic sit communicatio externa corporis & sanguinis Christi, id est, quae edunt corpus & bibunt sanguinem Christi, non solum digni sed etiam indigni, ueteres quoque illi confessi sunt.

Augustinus contra Fulgentium Donatistam sic ait, Sicut qui manducat & bibit sanguinem Domini indigne, iudicium sibi manducat, & bibit. Sic & qui accipit indigne baptismum, iudicium accipit non salutem, Nam & Iudas proditor bonum corpus, & Simon magus bonum baptismum Christi percepit, sed quia bono bene non usi sunt, mali male utendo delecti sunt, Bonum est baptismum, bonum est Christi sanguis & corpus, bona est & lex, sed si quis ea legitime utatur.

Et in Iohannem scribens tractatu 22. ait, Apostolus dicit ad eos qui corpus, quod fideles norunt, male tractabant, & quia male tractabant, corripiebantur flagello

flagello Domini, Propter hoc multi sunt inter uos infirmi &c.

Et ad Glorium, quae est Epistola. 162. Qui, inquit, unquam fuerunt sancti utriusque Testamenti, qui non cogebantur tolerare malos in sua communione? Tolerat ipse Dominus Iudam diabolum furem & uenditorem suum, Sinit accipere inter innocentes discipulos, quod fideles nouerunt, precium nostrum.

Et de baptismo contra Donatistas libro 5. cap. 8. Sicut, inquit, Iudas, cui buccellam tradidit Dominus, non malum accipiendo, sed male accipiendo, locum in se diabolo prebuit, sic indigne quisque sumens dominicum Sacramentum, non efficit, ut quia ipse malus est, malum sit, aut quia non ad salutem accipit, nihil acciperit. Corpus enim Domini & sanguis Domini nihilominus etiam erat illis quibus dicebat Apostolus, Qui manducat indigne, iudicium sibi manducat & bibit.

Chrysostomus quoque Homilia. 83. in Matth. cap. 26. ad suos sacerdotes, ut arceant a sacra communione criminosos, ita loquitur, Quod si ipse pellere non audeo, mihi dicas, non permittam ista fieri, animam prius tradam meam, quam dominicum alicui corpus indigne, sanguinemque meum effundi potius patiar, quam sacratissimum illum sanguinem praeterquam digno concedam. Quod si quis uenerit cum sordibus ignoranter, nulla uestra culpa est &c. Postquam

Postq̄ nunc sententiam nostram de cena dominica
satis multis uerbis atque adeo sepe superfluis,
nisi calumnijs quantum licet ubiq; occurrere uo-
luissem, dixi, & eandem uerbo diuino confirmaui, ani-
mus erat quibusdam calumnijs Sacramentariorum &
obtrectationibus respondere, sed iam ante id abunde
Lutherus prestitit. Verba institutionis Christi sunt
apertissima, sed pater tenebrarum ea conatur obscu-
rare, Nam q̄ aperta sunt ista, Accipite comedite, Ac-
cipite bibite, tam aperta sunt & hæc, Hoc est corpus
meum, Hic est sanguis meus.

Ne tamen in hac parte uidear omnino contemnere
aduersarios, propter fratres nostros, ad quedam pau-
cis respondebo, nam ad omnes omnium calumnias
& ineptias, ut non dicam blasphemias manifestas uel
etiam mendacia, non est nostrum respondere, neq; hoc
fratres exigere debent, ubi uiderint nostra uerbo Dei
aeterno constare & persistere.

Primum aiunt, Nulla unq̄ grauior seductio homi-
nibus aduenit, atq; illa qua dictum est, in uarijs locis
esse Christum, ut populus nunc ad hoc nunc ad illud
altare currat, nunc ab hoc templo ad illud monasteri-
um, propter impanatum deum, Sic enim audent Sata-
nico more blasphemare summe maiestatis Christi hanc
institutionem, Hanc autem ut aiunt seductionem pro-
prie prædictam à Christo his uerbis Matthæi. 24.

Tunc

Tunc si quis uobis dixerit, Ecce hic Christus aut illic,
nolite credere. Surgent enim pseudochristi & pseudo
propheta, & dabunt signa magna & prodigia, ita ut
in errorem inducantur, si fieri possit, etiam electi.
Ecce prædixi uobis. Si ergo dixerim uobis, Ecce in de-
serto est, nolite exire, ecce in penetralibus est, nolite
credere. Sicut enim fulgur exit ab oriente & apparet
usq; in occidentem, ita erit aduentus filij hominis.
Vbicunq; enim fuerit cadaver, illic congregabuntur
& aquila.

Respondeo me nunq̄ uel audisse uel legisse maio-
rem in Christum blasphemiam, q̄ hanc ex ore Sacra-
mentariorum contra Christi institutionem iactatam,
non contra nos, id quod tamen excæcati homines pu-
tant. Ad ferulas rursus cogendi sunt isti magni docto-
res, sed excæcati, quos si secutus fueris, cum eis in fo-
ueam tades desperationis & omnium blasphemiarum,
Modestiam nostram hic requirent, ut liberius possint
blasphemare Dominum nostrum Iesum Christum, Non
sit mihi pars cum eis, nisi resipiscere uelint.

Accedat nunc uel puer aliquis, qui possit intelli-
gere humana uerba, & indicabo ei id quod nulla quo-
rum unq; sapientia negare poterit, q̄ Sacramentarij,
qui nobis contra Sacramentum nostrum hæc obijciunt,
faciunt hac ratione Christum unum ex seductoribus,
ex pseudochristis, ex pseudoprophetis, iccirco Chri-

K Ito se

sto seductori non esse credendum, non esse ei acceden-
dum, ut credamus eius uerbo, nisi uelimus eius uerbo
in errorem induci.

Siquidem ex his Christi uerbis seductores faciunt
omnes illos, qui dicunt panem cæna Domini esse cor-
pus Domini, & poculum sanguinem. At Christus di-
cit hoc, Nam accepto pane dicit, Hoc est corpus me-
um, & accepto poculo, Hic est sanguis meus, qui nisi
hoc diceret, nemo iam esset qui diceret. Est ergo
Christus secundum eos seductor, & omnium seducto-
rum caput, qui hoc dicunt & asserunt, quod ipse dicit
& asserit, quasi ita uelit dicere Christus, Non credite
seductoribus qui dicunt, Ecce hic ecce illic Christus,
ita ut ne mihi quidem credatis, dicenti, Hoc est cor-
pus meum, Hic est sanguis meus. Ecce prædixi uobis,
nolite mihi credere, quia induco uos in errorem.

Credo Satanam ualde risisse, quando Sacramenta-
rijs primum persuasit, ut hoc dicto Christi abuterentur
contra hanc sacram Christi institutionem. Primum
quia uidit etiam quorundam piorum mentes ista spe-
cie posse moueri contra Christi institutionem, si re-
spiciant in misariorum abusum, quemadmodum ego
quosdam noui, Deinde quia uidit hanc esse ualde insig-
nem blasphemiam contra Christum, Præterea quia
sic multis posset persuadere, nos hactenus non recte
usos hoc dicto Christi contra iusticiarios illos sedu-
ctores &

ctores & pseudopphetas, qui ueniunt in uestimentis
ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces, ut sic
suspectum redderet nostrum Euangelium, quando
iam tandem acciperetur quod prædixit Christus,
Ecce hic, ecce illic, esse dictum contra nostrum
Sacramentum. Hæc uoluit Satan, & nemo posset tam
insigni blasphemiam dare ansam nisi Satan ipse,

A nunc impia temeritas, & perde caput tuum u-
nis cogitationibus, ut aliquid excogites, siue scriptu-
rarum siue rationum, quod nobis objicias contra hanc
sacram Christi institutionem. Nihil aliud inuenire de-
bes tuo insano studio quam meras blasphemias, ut a
planta pedis usq; ad uerticem capitis blasphemias in-
tus & extra replearis, Qui sordet sordescat adhuc,
Errantes & peccatores libenter suscipit Dominus,
subuersores autem sui uerbi, postq; ita admoniti sunt,
qui sustinebit?

Rursum expostulo, da mihi uel puerum aliquem,
Nonne qui dicit, Ecce hic est Christus, & qui dicit,
Ecce illic est Christus, sic contendunt, ut ille qui di-
cit, Ecce hic est Christus, neget illic esse Christum,
& ille qui dicit, Ecce illic Christus, neget hic esse
Christum? ut altero dicente, Hic est Christus, alter ne-
get dicens, Non est hic Christus, sed illic est, Rursum
hoc dicente, Illic est Christus, alter neget, Non est
illic Christus, sed hic est.

At dic mihi nunc, quando unquam talis contentio

fuit de nostro Sacramento, inter eos qui propter uerbum
& institutionem Christi crediderunt esse uerum cor-
pus & uerum sanguinem Christi? Hæreticis quidam
negauerunt illam, quam uocant, consecrationem, Cate-
rum inter omnes qui se catholicos dicebant, & hacten-
us inter papistas, licet uarijs sectis diuisos, de sub-
stantia Sacramenti conueniebat.

Non dicebant monachi aut Carthusiani se habere
uerum corpus Christi in Sacramento, alios autem
non habere, aut melius in summo altari quam in in-
fimo. Certe non seductores fuerunt, dicendo secundum
uerbum Christi, panem cæne esse corpus Christi, &
poculum sanguinem, quia aliter dicere, est negare uer-
bum Christi, sed in hoc seductores fuerunt, quod abstu-
lerunt & prohibuerunt nobis usum huius Sacramenti,
dicentes esse hæreticum qui uoluerit sequi Christi in-
stitutionem, Sed de hoc nunc reuelata ueritate ipsi
uiderint. Securis ad radicem arboris posita est.

Sicut autem hos seductores recte uocamus, qui usum
huius Sacramenti prohibent, ita multo rectius seducto-
res uocamus, qui nunc totum Sacramentum quod Chri-
stus instituit sua negatione auferunt.

Incidunt ergo in foueam quam nobis foderunt. Si
quis igitur ex fratribus nostris offensus est hac Sacra-
mentariorum contra nos citatione, qua citant contra
Sacramentum

Sacramentum nostrum, Ecce hic, ecce illic &c. uer-
tat oculos suos à missatoribus illis & missationibus,
nam sic ista citatio habet egregiam speciem, & con-
uertat oculos suos ad institutionem Christi, & statim
uidebit, quam non solum temere & nulla specie, sed
etiam impie hoc citatum uel obiectum sit, ut nunc in-
dicauimus, Pro institutione & uerbo Christi nunc no-
bis certamen est, non pro abusibus missariorum. Dice-
re autem institutionem & uerbum Christi esse sedu-
ctionem, blasphemia Satanae est, id quod faciunt sua
hac contra nos citatione Sacramentarij.

Quæ est ergo sententia horum uerborum in Mat-
thæo? Respondeo, De Christo loquitur & de regno
Dei, non de aliquo Sacramento à Christo instituto,
de prædicatione Antichristorum, cui non est creden-
dum, non de uerbis & institutione Christi, cui æquum
est ut omnes credamus.

Nam quod hic Christum dicit, Lucæ. 17, regnum
Dei appellat. Sic enim illic scribitur, Interrogatus
Iesus à Phariseis quando uenturum esset regnum Dei.
Respondit, Non ueniet regnum Dei cum obseruatio-
ne, neq; dicent, ecce hic, aut ecce illic. Ecce enim reg-
num Dei intra uos est &c. Regnum Dei ut dicitur
Rom. xiiij. est iusticia & pax & gaudium in spiritu
sancto. Hæc iusticia, pax & gaudium est nobis Chri-
stus, qui factus est nobis à Deo iusticia, sapientia,
K 3 sanctificatio

sanctificatio & redemptio. 1. Corinth. 1. Qui est pax
nostra. Ephesi. ij. Iustificati enim ex fide per Christum
pacem habemus & gaudium, Rom. 5. Hoc regnum
Dei siue hic Christus rex à Deo patre constitutus in-
tra nos est, ad nos missus est & per uerbum Euangeli-
i iam habitans in nobis, quem pseudochristi, id est, falsi
Christiani, & pseudoprophetae, id est, falsi prædica-
tores auferunt, in quibus primi erant illi pseudoaposto-
li, & post eos iusticiarij omnes doctores, maxime sub
papistis aliam iusticiam quàm Christum docentes, per quàm
ut nulla certitudo contingit conscientijs adlictis, ita
etiam nulla pax & gaudium. His non potest contingere
ut idem dicant, quemadmodum nullis contingit secta-
rijs, necesse est enim ut qui à ueritate, in qua est uni-
tas, disceserunt, non in sua quidem impia unitate per-
maneant, sed in multas diuersitates discindantur.

Incipient ergo docere, Ecce hic est Christus siue
regnum Dei, ecce illic est, id est, incipient sine uerbo
Dei atque adeo contra uerbum Dei docere, alius sic
alius aliter de Dei iusticia, quae uere Christus est, &
quicquid sibi somniauerint, hoc dicent esse iusticiam si-
ue regnum Dei siue Christum, cum interim nihil doce-
ant nisi iusticias humanas, ita tamen diuerso modo, ut
incertas & dubias reddant auditorum conscientias,
quae dum nunc sic quaerunt regnum Dei siue Chri-
stum, nunc aliter, seducti à pseudochristis & pseudo-
prophetis

prophetis, tandem incipiunt dubitare & ignorare
ubi Christum inueniant, id est, quid faciant unde Deo
placeant, unde agnoscant sibi remissa peccata, unde
certo sperent salutem, Nunc hæc & illa opera susci-
piunt non à Deo præcepta, sed à falsis doctoribus sine
uerbo Dei præscripta, per quae docentur ablucere pec-
cata, accumulare meritum, nunc fraternitates erigi-
mus, missas legi iubemus, uenias siue indulgentias re-
dimimus, currimus Romam, ad sanctum Iacobum, tan-
dem, ubi ista non prosunt, in monasterium & inde in
Carthusiam, quia Christum siue regnum Dei extra
talia esse non putamus, id quod tamen non uenit cum
observatione, siue obserues à dextris, id est, pompa
mundi, siue à sinistris, id est, fuga mundi, quemadmo-
dum quidam mundum fugerunt, & mundum secum in
corde tulerunt, iudicantes se per hoc alijs meliores
quos reliquerunt, quibus seruire debuissent. Quid sin-
guli ordines monachorum hæctenus contra alios cla-
marint, quidue contra seipsos diuisi, quid alij contra
illos, quis ignorat? Et tamen hæc iusticie humane &
falsæ opinioniones de Christo contra Euangelium glorie
Dei, confirmate sunt signis magnis & prodigijs, ut
dicitur. ij. Tessalo. ij. mendacibus.

Christus siue regnum Dei non est in deserto, ut fu-
gias extra mundum, neque est in penetralibus, ut te se-
cludas à mundo, sed ubique regnat accepta potestate

in caelo & in terra, nulli loco alligatus est, nullis obseruationibus, illic autem cum certo inuenies, ubi se suo uerbo reuelat, quo fit ut credas in eum, seruias proximo, & patiaris pro ueritate, ibi est Christus siue regnum Dei.

Sed iste Christus & hoc regnum Dei, praesuperstitione iusticiae humanae & pompa humanarum caeremoniarum iam contemnitur, Qui uero inuisibili Christo ubiq; presenti, & regno Dei, quod coram mundo non est gloriosum, iam per fidem uerbi adhaeserint, in con summatione mundi adhererunt uisibili & apparenti in gloria patris, rapti obuiam Christo in aere, & sic semper aquila ista cum Domino crunt, quae est nostri consolatio.

Itaq; uel hic unus locus, quem produxerunt Sacramentarij quasi contra nos, declarat quam insiniter sint blasphemij, & q; ignorent de quibus affirmant, Donec itaq; non feceris Christum unum ex seductori- bus, non euincas ex hoc loco Matthaei, panem caenae non esse corpus Domini, & poculum non esse sanguinem, nam nullus pseudochristus, nullus pseudoprophe- ta hoc nobis dixit, sed uerus ille Christus, uerus pro- pheta, quem suscitauit nobis Deus, unicus doctor & magister noster, de quo dicit pater, Hunc audite. Is inquam dicit, Hoc est corpus meum. Hic est sanguis me- us, hic nulla seductio est, sed uerbum uitae & salutis, modo credas.

Post

Post haec sic nos oppugnant, Marcus ita narrat de calice, Accepto poculo cum gratias egisset, dedit illis, & biberunt ex eo omnes, & dixit illis, Hic est san- guis meus noui testamenti, qui pro multis effunditur. Si, inquit, uirtute uerborum Christi sanguinem esse in calice aseritis, quid biberant discipuli anteq; Chri- stus diceret, Hic est sanguis meus? Videtur ergo ex isto loco Marci, quod Dominus postq; ederant dixe- rit, Hoc est corpus meum, & postq; biberant, Hic est sanguis meus. Ideoq; non ederint corpus Domini aut biberint sanguinem eius, Habere ergo haec uerba ali- am interpretationem q; ut panis sit corpus Christi, & poculum sanguis. Quos si interrogas, Quam aliam interpretationem? audies uere fanaticos, alios aliud loquentes.

Respondeo ergo, Qua conscientia haec ex Marco dicunt? Ex corde suo ista fingunt, Quis eos de hac sententia certificabit? Verbo Dei addunt, ut ipsum deprauent. Quid queso peccauit in hocce bonus Euan- gelista Marcus, quod conantur eum inuisum reddere Ecclesiae Christi, quasi aliquid dixerit contra Mat- theum, Lucam, Paulum, contra seipsum atq; adeo con- tra sacram hanc Christi institutionem? Non mirum q; infames reddunt & suspectos hodie bonos uiros, quasi cum ipsis sentiant, quando idem tentant in Marcum sacri Euangelij scriptorem.

K s Sic itaq;

Sic itaq; habet res in hoc loco Marci, Quod alij dixerunt, hoc quoq; hic Marcus dicit. Narrat enim Dominum dixisse de calice, Hic est sanguis meus &c. hoc & alij narrauerunt. Et licet primum narret q; biberint, postea uero narret quod Dominus dixerit, Hic est sanguis meus &c. tamen non dicit, quod Dominus postq; biberint dixerit, sed simpliciter ait, Et dixit illis, Hic est sanguis meus &c. Iam quid opponitis Marcum ceteris, quando plane idem dicit quod ceteri, nempe Dominum dixisse, Hic est sanguis meus &c. Nihil aliud habes ex Marco. Et dixit, inquit, illis, quis hoc negat Dominum dixisse? amplectimur toto corde.

Si autem uis scire num ante bibitionem uel post, dominus hoc dixerit, in Marco non uidebis, quia neq; dicit, Et dixit Dominus antequam biberent, neq; sic, Et dixit Dominus postq; bibissent, sed sic tantum, Et dixit illis, Itaq; dixisse hæc Dominum de calice omnes illi quatuor testantur, quo autem ordine dixerit, id est, antequam biberent, non Marcus dicit, sed alij tres, ita manifestis uerbis, ut nemo nisi insigniter stupidus negauerit.

Mattheus sic ait, Accepto poculo, gratijs actis, dedit illis DICENS (uides ne cæcitas hanc connexionem?) Bibite ex hoc omnes, Hic est enim sanguis meus &c. Lucas etiam sic. Similiter & poculum, postquam

postquam cenauit, dicens, Hoc poculum nouum testamentum in sanguine meo, qui pro uobis effunditur. Et Paulus sic, Similiter & poculum, peracta cena, dicens, Hoc poculum nouum testamentum est in meo sanguine.

Clara ergo per obscura isti obscuratores interpretantur, quorum interpretationem quisquis acceperit, Mattheum, Lucam & Paulum fecerit mendacij reos, & huius impietatis isti faciunt sanctum Marcum uel reclamantem autorem, Nam & ipse Marcus de pane narrat, Accipite, comedite, Hoc est corpus meum, ut uideas Marcum hoc non ualuisse, quod illi ex eo sibi somniant.

Bis pueri uidentur facti, qui non uidere uolunt, quod in omnibus & sacris & prophanis historiis grauis uulgatissimum est, nempe q; sæpe narrat posteriora gesta antequam priora, non tamen mentiuntur, modo tantum quod gestum est narrent, quo autem ordine gestum sit non dicant, aut si dicunt, significant interim se scribere prius omissa.

Si ego dicerem, Domini die uespere cenamus, meridie prandemus, mane ieiuni audimus sacras conciones, quid peccarem ista narratione? Et tu interim stolidus disputator propter meam istam narrationem, que uera est, censes subuertendum esse gestorū ordinem & ipsam rerum naturam, dicens, Ergo uespera est ante

ante meridiem, & meridies ante matutinum tempus,
& prius cenamus q̄ prandemus, & post cenam &
prandium audimus sacras conciones ieiuni?

Similiter me narrante uerum, Christus crucifixus est
& Christus natus est ex uirgine, tu ex ista uera nar=
ratione inferres falsum, Ergo Christus primum natus
est ex uirgine, postq̄ fuit crucifixus? Tale plane est
& ex uera narratione Marci, Biberunt ex eo omnes.
Et dixit illis &c. inferre, Ergo postq̄ biberant, dixit
illis.

Verum est quod Marcus dicit, Biberunt ex illo
omnes, & uerum est quod dicit, Et dixit illis, Hic est
sanguis meus. Bibisse omnes nemo negare debet, &
dixisse Christum, Hic est sanguis meus, nemo negare
debet. Mendacium autem esse, quod Christus hæc uer=
ba dixerit postq̄ biberant, conuincunt Mattheus,
Lucas & Paulus. Hoc enim tuum commentum est,
Marcus hoc non dicit. Adeo isti non uidere uolunt in
hoc loco Marci illam preposteritatē, quā πρῶτος εἶπον
græci appellant, etiamsi tanta lumina uersentur ob
oculos.

Nihil itaque ex Marco habent, quo se tueantur,
immo his suis nugis declarant, quā anxie laborent
pro suis mendacijs contra Dei ueritatem statuen=
dis.

Præterea audio dicentes, Cur nos traditis Satanae
& im-

& impios dicitis? quid si uera essent quæ docētis,
nempe panem esse corpus Christi, & poculum sangui=
nem, & nos adeo infirmi, ut nondum capere posse=
mus? infirmos non susciperētis? Audio, De erranti=
bus, peccatoribus & infirmis alia ratio est, Contra
pugnatores atque adeo, ut uideri uolunt triumphato=
res & suæ impietatis defensores, agimus. Si infirmū
sunt, non sint orbis magistri, & desinant non in uno
populo sed ubiq; publicis scriptis perturbare bonas
conscientias, impia suā doctrina & ueritatis Christi
negatione, compeſcant quas excitarunt blasphemias
linguas, & dent gloriam uerbo Christi, Quod si non
cessauerint cantabimus eis iudicium Dei in nomine
Domini ex uerbis Pauli, Qui autem conturbat uos,
inquit, portabit iudicium quicumq; fuerit ille.

Tandem prorumpunt indignantes Christi instituta
tioni & dicentes, Ad quid prodest ut in cena edatur
corpus Christi & bibatur eius sanguis, quando com=
memoratio illa Christi potest fieri etiam ad panem
& uinum? Quid audio? forte etiam ad lignum & lapi=
dem, cur non fiat ad præsentiam corporis & sangui=
nis Christi? Aiunt, quia commemoratio est absentia=
um, Quis tibi dixit? sed esto, An nescitis boni Sa=
cramentarij q; hic debet fieri commemoratio siue an=
nunciatio mortis Christi? mors Christi ut olim in
cruce nunc non adest, licet eius mysteriū celebremus
secundum

secundum hanc Christi institutionem, Nam Christus amplius non moritur, mors illi ultra non dominabitur. Si commemoratio est absentium ut dicitis, nos commemoramus mortem Christi.

Sed quid respondebimus dicentibus, Ad quid corpus Domini & sanguis in cæna? Primum exposulante cum Christo qui sic instituit, & suam Ecclesiam hoc honore dignatus est, impijs autem uoluit etiam hac ratione esse lapis offensionis & petra scandali.

Deinde uoluit ibi esse corpus & sanguinem suum, ne ita contemneremus hoc Sacramentum, atq; uos uel saltem uestri, id quod Paulus post narratam Christi institutionem sic dicit, Itaq; (quia narraui Christum dixisse, Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus) quicumq; manducauerit panem, non quemcunq; sed hunc, & biberit calicem, non quemcunq; sed Domini, indigne, reus erit corporis & sanguinis Domini, non panis & calicis solum, quia de isto pane dixit Christus, Hoc est corpus meum, & de isto calice, [Hoc uel hic est sanguis meus. Quod si indigne accipientes iudicium sibi accipiunt, quid accipient digne hic comunicantes nisi uitam æternam?

Præterea commemorationem sui hic Christus instituit, id quod nemo negat, hanc tu nullam dixeris? Neq; ideo non est hic corpus & sanguis Christi, quod commemoratio

memoratio instituta sit, quæ est absentium, ut aiunt. Non enim hic celebratur memoria uel potius commemoratio corporis & sanguinis Christi simpliciter, de quo & Satan recordari atq; dicere potest, sed memoria corporis Christi pro nobis in cruce traditi, & sanguinis Christi pro nobis in cruce fusi, id est, commemoratio siue annuntiatio mortis Domini,

Ad hanc itaq; commemorationem non solum panem & uinum instituit, sed etiam suum corpus & sanguinem mandauit & tradidit, inuisibiliter quidem & sub Sacramento, sed tamen uere edendum & bibendum, ne quid dubitemus de his pro nobis traditis, quæ nunc in cruce non traduntur ut olim, sed traduntur in cæna ista pro nobis ad edendum & bibendum, in commemorationem, quod pro nobis in cruce tradita fuerunt. Non possum hic satis dicere utilitatem huius Sacramenti, si recte utaris.

Impietas Sacramentaria Christo dicente, Accipe, ede, bibe, dicit, Edo quidem & bibo non mihi sed fratribus quia Sacramenta Christi non sunt aliud q̄ signa inter homines ipsos, unde noscamur esse Christiani, nõ est uerum, si interim neges signa & pactum esse inter Deum & hominem, id quod uere sunt, si uere accipias, quemadmodum dona sponsi non tam alijs quàm ipsi sponsæ certissima signa sunt amoris, unde sponsum quantus quātus est credat esse suum. Non est ignotū in scripturis

Scripturis de circumcissione, q̄ sit pactum inter Deum
& hominem, pudendum scilicet signum, quod in con-
uersatione hominum ostentetur, maxime inter uirgi-
nes, si Deus ad hoc solum instituit ut sit signum inter
homines, unde noscatur Iudeus.

Non nego pactorum aut signorum Dei utilitatem
etiam peruenire ad alios, sed dico inter quos pacta &
signa sint, nempe inter Deum dantem siue instituen-
tem & hominem recipientem

Ita in hac huius Sacramenti institutione Christus
duo instituit, alterum ut edas corpus eius & bibas san-
guinem, alterum est commemoratio illa, ut annuncies
mortem Domini, ex quibus uenit duplex utilitas &
maxima quidem, altera tibi, altera alijs.

Tua utilitas est non aliorum, quod edis corpus eius
& bibis sanguinem, nam pactum Christi & certissi-
mum signum accipis salutis, certus Christum esse tu-
um, cuius corpus & sanguinem assumis secundum eius
institutionem. Talibus externis pactis & signis per
uerbū uoluit etiā nobiscum agere deus, ut & corpora
nostra, quæ sunt templum spiritus sancti, quæ etiam si-
cut & animæ in Christum baptizantur, ad resurrectio-
nem pertinere credantur. Sumus enim membra corpo-
ris eius ex carne eius & ex ossibus eius, Ephe. 5. Siqui-
dem uerbum caro factum est, ut totum sibi saluaret ho-
minem.

Vis istud

Vis istud audire ex hac institutione? Christus ait,
Pro uobis frangitur, Pro uobis effunditur in remissio-
nem peccatorum, Pro uobis, inquit, qui edetis & bibe-
tis secundum meam institutionem & mandatum. Et si
causaris obscuritatem in his Christi uerbis, audi Pau-
lum interpretem, Qui, inquit, indigne accedit, iudici-
um sibi non alijs manducat & bibit, non enim ego in-
quinor, si mecum alij indigne accedunt ad hanc com-
munionem. Quod si uerum est hoc Pauli uerbum,
consequitur, quod qui digne accedit, manducat & bi-
bit uitam æternam sibi non alijs, quemadmodum Pe-
trus sibi manducabat & bibebat uitam æternam, non
Iude proditori. Tibi itaq; manducas & bibis, siue be-
ne siue male, non alijs.

Aliorum autem utilitas non in hoc est, quod tu edis
& bibis, sed in commemoratione, qua annuncias mor-
tem Domini, ut alij quoq; credant, aut si credunt, con-
firmentur, ut sic inuulgata inter nos Domini morte,
nempe quod sanguinem suum pro nobis effuderit in
remissionem peccatorum, non facile rursus seduca-
mur à pseudoapostolica prædicatione, quæ humanas
satisfactiones & excogitatas iusticias, sine uerbo Dei
atque adeo contra uerbum Dei, nobis obrudit, pro
illa iusticia Dei quæ est Christus Iesus pro nobis à
patre traditus in mortem, ut liberi simus à peccato,
morte & inferis, facti filij Dei. Nam totum Euangeli-
um perijt.

L

um perijt, postquam in Ecclesijs nostris impie aboli-
tus & prohibitus est uerus huius Sacramenti usus.

Ex his nunc etiam uidere licet, quam nihil agant
qui irrident nos, dum dicimus quod Dei signis confir-
mamur. Et aiunt, Paulus dicit quod per spiritum san-
ctum confirmamur & obfirmamur. Qui si uel mini-
mum sensissent, quæ sit ista confirmatio & obfirma-
tio spiritus sancti, licet spirituosissimi uelint uideri,
gauderent de nostra sententia, non eam impie irride-
rent, & suas cogitationes putarent esse spiritum san-
ctum, contempto uerbo Dei, sine quo nulla signa mag-
nificamus.

Nam quis negat spiritum sanctum nos confirmare
& obfirmare? sed ad confirmationem utitur spiritus
uerbo Dei prædicato uel scripto & signis dei, quibus
certificat, confirmat, consolatur, obfirmat uacillantes
conscientias, Alioqui si spiritum acceperis sine uerbo
Dei, si te confirmatum & obfirmatum dixeris sine
uerbo Dei, uide cuius spiritus sis &c. Verbum qui-
dem Dei, similiter & signum uerbo additum non est
mihi efficax sine spiritu Dei, non enim credo sine spi-
ritu, sed rursus spiritus Dei nihil uult in me efficere
ad salutem sine uerbo Dei. Omnipotens quidem est
Dei spiritus, qui possit aliter facere, sed mea temeri-
tate non mutabit ordinem, quem nobis promisit, quem
hac gradatione depingit Paulus Roma. 10. Quomodo
inuocabunt

inuocabunt eum in quem non crediderunt? Quomodo
autem credent ei de quo non audierunt? Quomodo
autem audient absq; prædicante? Quomodo autem
predicabunt nisi missi fuerint?

Cur ergo nos accusant, quod hic conscientiarum
confirmationem asserimus? Nam quod alias consola-
tur & confirmat nos spiritus uerbo, hic facit & uer-
bo & signo, Magna enim consolatio & confirmatio
est in omni tentatione, hæc Christi tradentis nobis su-
um corpus & sanguinem dignatio & nostra inter nos
de Christo commemoratio

Hic propter uerbum Christi uere adsunt, quæ olim
tradita in cruce commemoramus, quemadmodum ad
presentiam amici recordaris, & cum gratiarum actio-
ne commemoras, quid beneficiorum in te olim præsti-
terit.

I nunc & dic, ad quid uobis corpus & sanguis
Domini in cena? ut fias disputator & mentium se-
ductor, dum benignitatem erga nos Christi intellige-
re non potes, accusare pergis, cui gratias agere de-
beres.

HÆc quæ scripsi sint mihi testimonium coram
toto mundo, quod cum sacramentarijs negan-
tibus panem esse corpus Christi in cena Domi-
ni, & poculum sanguinem, & hæc ad uitam æternam
L 2 accipi

accipi, si accipiantur quemadmodum Christus instituit, quod, inquam, cum his negatoribus non sentio.

Nemo sit mihi posthac molestus ut aliò uadam, uerbo Christi credo, à quo impie ad hominum somnia recederem. Gaudeo

nunc testimonium fidei meae

ad idise, exprobrantibus

posthac perper-

tuo uer-

bium Christi respondebo.

Deus illuminet sua ueritate corda omnium, & confirmet nos in omni opere bono, per Iesum Christum Dominum nostrum, A M E N.

SEQVITVR

DE SINGVLARIBVS QVIBVS-
DAM SACRAMENTARIIS.

Ioannis Bugenbagij Pomerani.

Cum expositione sexti Capitis Ioannis
Euangeliste.



NUNC TANDEM, ID
quod ante promisi, nouum genus
Sacramentariorum tibi optime
lector ostendo, hi promittunt sese
accipere uelle omnia sacra insti-
tutionis Christi uerba in propria
& naturali significatione, ne non
accedamus ad eos, & tamen negant ut alij, panem Do-
mini esse corpus eius, & poculum sanguinem.

Hi dicunt, Christiani quidem & credentes Chri-
stiani, immo recte credentes Christiani, edunt ibi ue-
rum corpus Christi & bibunt uerum sanguinem Chri-
sti, in uiuo uerbo Dei per ueram fidem, Sed his uerbis
interim ludunt, quasi respondeant Christi institutio-
ni, nihil tamen aliud uolentes, quam panem Domini,
quem edimus non esse corpus Christi, & poculum Do-
mini, quod bibimus non esse sanguinem Christi, contra
manifesta institutionis Christi uerba, & huic negatio-
ni uerbi Christi atq; adeo ipsius Christi ne sentiatu-
r a uulgo, sicu obducunt, loquentes Germanicis quide uer-
bis, sed Hebraica simul phrasi & Germanica, Im le-
bendigen Vuort Gottes durch einen uaren glauben.
Et tamen interim negant uerbum Dei, quo negato,
quam fidem quaeso habent? quasi uero nos sine uerbo
Dei aliquid in hac causa asseramus, aut doceamus sine
fide utendum esse tanto Sacramento, id quod quidam
de nobis

de nobis nuper publicis scriptis asseruerant, impu-
denti ualde mendacio, postquam toti mundo constat
Martinum Lutherum no hoc docere, & certe Zuing-
lius sic mentiri non debuit contra conscientiam,
posteaquam legerat, ut ipse publico scripto fatetur,
librum Lutheri scriptum aduersus Carlstadium.

Dixi supra & nunc breuiter repeto, Si in nostrae
Ecclesiae corpore siue congregatione, propter institu-
tionem Christi, quae nos non decipit, docemus, credi-
mus & fatemur panem Domini esse corpus Domini,
& poculum domini esse sanguinem Christi, indubitato
ita est, dum credimus quod ipse dicit, & facimus quod
ipse iubet, Sacramentarij neutrum facimus, non enim
credunt panem esse corpus Domini, id quod Christus
dicit, neq; edunt corpus Domini, id quod Christus iu-
bet, siquidem non dixit, Edite panem, sed edite meum
corpus.

Vt autem tu non indigne edas hic corpus & bibas
sanguinem Domini, requiritur non solum fides ut cre-
das quod ita sit, sed etiam illa fides, unde sumus filij
Dei, quam uocamus fidem iustificantem, haec est fidu-
cia in sanguinem Iesu Christi. illam fidem incipien-
tem dicere possis, quae interim non uiuificat aut iusti-
fiat, hanc autem perficientem, quae illam sine dubio
includit, quemadmodum legis Hebreo. 11. Sine fide im-
possibile est placere Deo. Credere enim oportet

L ↗ accedentem

accedentem ad Deum, quod Deus sit, & quod inquirentibus se remunerator sit.

Hac fiducia, quam Christus docit Ioan. 6. docemus accedere oportere peccatores respicientes ad Sacramentum panis & uini, quod ipse propterea instituit in ultima cena, ut certo & uisibili signo declararet nostrae imbecillitati sese adhuc agere nobiscum.

Signum Cum signum dico non nego ueritatem, quam sola fides ex institutione Christi illic adesse uidet, ne hic petant mendacia calumniatorum.

Si autem ais, Hac fiducia ut docet Christus Ioan. 6. semper edunt fideles, & bibunt carnem & sanguinem Domini, nam credere siue fidere in Christi carnem & sanguinem, illic est edere & bibere. Bene dicis & Christiane. Si uero addis, Ergo non opus est, ut aliquando edatur eius corpus & bibatur eius sanguis in Sacramento panis & uini. Respondeat tibi Christus, qui sic instituit, mihi certe ita consulere uoluit.

Non itaque debent suo isto fucio, in uiuo uerbo Dei per ueram fidem, negare nobis uiuum uerbum Dei, Hoc est corpus meum &c. ne nullam habeant fidem, uerbi Christi negatores.

Sed cur nunc non prodam, qui sint de quibus hæc potissimum dico? Nam licet omnes Sacramentarij raro ad rem respondeant, quam ipsi susceperunt pro-

runt probandam, nempe quod panis Domini non est corpus Domini, interim multa dicentes de uerbis fidei, & alia de quibus non est contentio, ut interim alijs fucum faciant, quasi multa scribentes pro sua causa, tamen sunt quidam, qui magno spiritu longe post se omnes alios Sacramentarios relinquunt, non accipientes, Hoc pro corpore asidente, neque Est, pro significat, neque corpus pro corpore significato, neque hoc pro illud, ut meus ille Conradus ab Offen, quem postea uidi appellatum alio nomine, nisi me fallat utriusque eadem mens & stulticia, qui cum sit ineptissimus & omnium rerum ignarus, tamen putat se dignum ad cuius ineptias aliquis respondeat, quasi mundus non uideat insaniam, etiam si nemo admoneat.

Sed sic dicunt singulares illi sacramentarij, quos nunc ut ab eis caueas indico, sine nomine tamen, quia fratres esse malletm quam aduersarios. Nobis inquam, hæc uerba Christi, Hoc est corpus meum, manent in sua naturali significatione, quemadmodum & sunt prolata a Domino, & ab Euangelistis & Paulo ex spiritu sancto scripta, que nos simplicissime accipimus sine omni additione. Et hæc Christi uerba conferimus cum alijs similibus Christi uerbis, que scribuntur Ioann. 6. Caro mea uere est cibus, & sanguis meus uere est potus, quando in cena non potest esse aliud corpus & alius sanguis, quam de quibus antea in Ioanne locutus est.

L S Et diuidi-

Et diuidimus cenam Domini in spiritualem comestio-
nem & bibitionem, & in dignam commemorationem
sive panis fractionem & calicis Domini bibitionem,
ut Paulus uocat, iuxta comestionem scimus, credimus
& fatemur quod uere credentes Christiani, uescun-
tur uero corpore Christi, & bibunt uerum eius san-
guinem, in uiuo uerbo Dei per ueram fidem. Hinc fi-
delibus certissime declaratur, quis sit cibus & cœna,
necessarium enim est bene cognoscere illum cibum,
quo fideles satiantur ad uitam æternam, In commemo-
rationem faciunt Christiani quod Christus fecit, &
postea facere iussit in sui commemorationem, postq̄ su-
um corpus dedit, & suum sanguinem effudit in re-
missionem peccatorum, quemadmodum hæc in uerbis
Domini & Pauli latius sunt expressa & clarius. Sic
instituit Christus. Paulus Corinthijs ordinauit, sancti
patres in primitiua Ecclesia obseruarunt, Tertullia-
nus, Cyprianus, Hilarius, Augustinus & plures scrip-
serunt.

Habes omnia, nec plura nuper in publicum adide-
runt, reliqua nihil aliud erant quàm uerba, quando ta-
men longe plura speraueramus ex tanti spiritus abun-
dantia, malle enim autem adidissent sub nomine suo, non
enim ignoramus auctores, quàm sub alieno nomine, &
præterea sub nomine pastorum. Quid inuidiam exci-
tant alijs bonis uiris, qui ipsi in culpa sunt? sed ita
nunc commodum ipsis uisum est ut istud decorum
seruarent, quo sibi non alijs consulerent. Non

Non ignoro quid doceant de sacra Eucharistia,
neq; ipsi ignorant me hoc scire. Siquidem literis &
integris tractatibus priuatim missis, copiosissime so-
lent agere suam causam, apud eos, quos ad se trahere
nituntur, ex quibus ita per eos tentatis, ego unus fui.

Non credo quod me accusabunt perfidia, quasi re-
uelarem amicorum secreta, quando ipsi in publico do-
cent, maxime quando uideri uolunt se prædicare ueri-
tatem & gloriam Dei, me autem errare. Gaudebunt
ergo, quod uel paucis scribam ipsorum gloriam &
meam ignominiam.

Ipsi quidem consentiunt alijs Sacramentarijs, ne-
gantes panem Domini esse corpus Christi, & pocu-
lum Domini esse sanguinem Christi, iccirco habent
illos pro bonis socijs panis & uini, sed auctoritatem
spiritus illis detrahunt & sibi arroganti. Sic enim huc
scripsit unus ex antesignanis eorum. Zuuinglius, in-
quit, ut uir bonus non gloriatur de reuelatione aliqua,
sed sic scribit, Somnium narro &c. nos autem habe-
mus spiritus reuelationem.

Hæc reuelatio etiam huc ita scripta erat. Vni eo-
rum, dum esset nimis anxius pro sua causa Eucha-
ristia, uisum quasi admoneretur a spiritu sancto ut le-
geret, hunc statim aperuisse librum beati Cypriani
martyris & inuenisse libro. 1. Epist. 6. unde non pos-
set postea dubitare, panem Domini non esse corpus
eius.

eius. Vides certitudinem huius spiritus, cui non licet nunc dubitare, etiamsi Christus diuersum dicat. Lege totum Cyprianum, dispeream si in hac causa non dicat id quod nos. *Que ergo fuit illa spiritus reuelatio ex uerbis Cypriani?*

Quin dicamus de uerbis eorum supra propositis. Si uera sunt quæ proponunt, cur non paramus coronas? cur non decernimus eis triumphum? composita est discordia, non habemus uel uerbum, quo Sacramentarijs obmurmuremus. Dolebunt quidem Sacramentarij se perdidisse suam gloriam, quam alij per Tuto, alij per significat, alij aliter quaesierunt, et indigne ferent se hactenus humanis suis somnijs fuisse sacre Christi institutionis deprauatores, quando nunc ex istis audiunt uerba Christi sine tropo debere accipi, sed minus dolebunt, quando, utcunque male pugnatum est, uident uictoriam stare à se, et nos succumbere, contra quos grauius pugnauerunt quam contra papistas, quia nos Satan grauius odio prosequitur. Lutherani uero, quos uocant, uelint nolint, cogentur accedere et herbam porrigere. In hoc infeliciores quæ licet integris uiribus et armis, non tamen possunt gloriari de uictoria, siquidem postquam bene pugnauerunt optimis argumentis, hoc solum requirentes, ut uerba institutionis Christi simplicissime acciperentur, arma et pugne probantur, et uictoria cedit eis, qui male pugnauerunt, attestante spiritus reuelatione,
que

que dixerat suo myste, Quid si neq; Zuinglius neq; Lutherus probe sentiret de Eucharistia? Verba nunc manent nobis integra in naturali significatione, Hoc, id est, hic panis significat panem. Est capitur substantiue, Corpus meum pro corpore uero Christi non significato, Quid aliud requirimus? Et tamen panis non est corpus Christi, id quod suscipiebamus ex uerbis Christi, in naturali significatione acceptis defendendum. Non est nunc ultra nobis excusatio, si non facimus Sacramentarij. Istam uictoriam et pacem, et Sacramentarij et nos, quibus quæso debemus nisi istis tanto spiritu afflatis? Quid mirum, si totus mundus mirctur, post tanta dissidia, tam subito per hos omnia in unum coisse?

Ego uero, licet adhuc ita pertinax ut non accedam, tamen ne sim omnino ingratus tantæ reuelationi, ago gratias nomine omnium Lutheranorum atque adeo Christianorum, primum quod docent hæc uerba, Hoc est corpus meum, debere accipi in sua naturali significatione, quemadmodum etiam prolata sunt à Domino, et ab Euangelistis et Paulo ex spiritu sancto prolata simplicissime, quia per hoc damnant omnes alios Sacramentarios, quotquot hactenus scripserunt, Deinde quod clavis uerbis fatentur in cæna non posse aliud esse corpus et alium sanguinem, quam de quibus antea Dominus in Ioanne locutus est. Nam hic nobis ita pergere licet. At Dominus in Ioanne locutus est de

est de uera sua carne & sanguine, Ergo & in cena est uerum corpus & uerus Christi sanguis, quando Dominus dicit, Hic panis est corpus meum, Hoc poculum est sanguis meus. Hac ratione frustra expectatis uos spiritualista, ut gratias agant uobis alij Sacramentarij, dum sic protinus & arma & totam causam ceditis nobis, & tamen iucundo interim somnio pugnantis contra nos.

Sic autem faceretis contra nos ex Ioannis sexto, si ibi traderet dominus, ut in cena, panem & uinum, & constaret ex certo Christi uerbo ista duo esse uera, alterum quod panis & uinum Ioannis sexto esset idem panis & uinum quæ sunt in cena, alterum quod panis & uinum Ioannis sexto non esset corpus & sanguis Christi, tunc certo liceret uobis inferre, Panis & uinum Ioannis sexto non sunt corpus & sanguis Christi, ergo & panis & uinum in cena non sunt corpus & sanguis Christi. Iam uero quando nihil horum habetis Ioannis sexto, quare ex eo loco probatis contra nos panem quem frangimus, de quo Christus dicit, Hic panis est corpus meum, non esse corpus Christi, & poculum cui benedicimus, de quo Christus dicit, Hoc poculum est sanguis meus, non esse sanguinem Christi? Quando quæso negat Christus Ioannis sexto, quod in cena asserit? ut non dicam quod hoc non possit.

Gratias itaq; habemus uobis, quod asseritis uerba Christi

Christi hic simplicissime absque tropo accipienda, & non posse in cena aliud esse corpus & sanguinem, quam de quibus antea Dominus in Ioanne locutus est, Male uos interim habet, quod in cena & non Ioannis sexto panem adhibet instituens externum Sacramentum de quo pane uult ut credamus, quod externe non uideamus, neq; ulli sensus capiunt, sed sola fides, nempe esse corpus suum, propter uerbum, Hoc est corpus meum, sed interim exposulate cum eo qui ita uoluit, nos certe rationem nostræ fidei reddimus ex uerbo Christi, & si non placet uobis, ite aliò.

Nunc & rationem reddere uolo meæ pertinaciæ, quare his tam bene pro nobis pronunciantibus, ut dixi, & tamen non nobiscum sentientibus, non possum neq; debeam accedere. Dicunt, Hæc Christi uerba conferimus cum alijs Christi uerbis, quæ scribuntur Ioannis sexto. Caro mea uere est cibus, & sanguis meus uere est potus. Interim autem tacent quomodo conferrant.

Sic conferunt quemadmodum & scribere & docere solent, Est non potest, inquit, accipi pro significato, neq; corpus pro corpore significato, sed omnia uerba debent accipi in naturali significatione. Hæc nobis placent, ut diximus. Pergunt uero, Sic ex Ioannis sexto accipimus uerborum cenæ genuinam sententiam. Christus ibi dicit, Caro mea uere est cibus, & sanguis

& sanguis meus uere est potus, & non dicit, Cibus est caro mea siue panis est corpus meum, & potus est sanguis meus, Ergo & in cæna, licet hoc ordine uerba expressa sint, Hoc siue hic panis est corpus meum, Hoc poculum est sanguis meus, tamen quod ad intelligentiam & sententiam uerborum attinet, sic construenda sunt, Corpus meum est hoc, id est panis, quemadmodum Ioannis sexto dicit, Caro mea est cibus. Item, Nouum Testamentum in meo sanguine, qui pro uobis effunditur in remissionem peccatorum, est hoc poculum, ut breuiter sit sententia, Sanguis meus est poculum, quemadmodum Ioan. 6. dicit, Sanguis meus uere est potus.

Hic interim miramur quo isti nos abducant, Non sustinent, & magnum periculum salutis esse calumniantur, quod non sinimus in cæna Domini simplicem panem esse, propter uerbum dicentis, Hoc est corpus meum, & quod non sinimus simplex uinum esse, propter uerbum dicentis, Hoc poculum est sanguis meus, & ipsi ex uero corpore Christi faciunt nobis corporalem & uisibilem panem, quem quotidie edunt omnibus homines, & ex uero sanguine Christi pro peccatis effuso faciunt nobis corporalem & uulgarem potum, quem quotidie bibunt omnibus homines, Ita corpus filij Dei sit uulgaris panis, & sanguis filij Dei atque adeo Dei, quemadmodum dicit Paulus Actor. xx. sit uulgaris potus. Quid enim aliud ex hac interpretatione ui-

uisione uidebis, si, quemadmodum aiunt, uerba debent manere in propria & naturali significatione? Hoc sine dubio demonstrat panem ut certissime significetur, Hoc, id est, hic panis. At hunc panem non sinunt aliud esse quam panem, utcunque magnam reuerentiam affingant dominico, ut aiunt, Sacramento, coacti scilicet alijs Pauli uerbis. Ergo corpus meum est hic panis, non aliam habet sententiam secundum naturalem uerborum significationem, quam hanc, Corpus meum est panis externus, nisi hic panis, quem Christus frangit, non sit panis externus. Atque hoc adhuc manifestius esset in traditione calicis, ubi non solum HOC dicitur, ut in traditione panis, sed etiam additur Poculum, ut secundum eos dicatur, Meus sanguis est hoc poculum, si hoc poculum non est externum, non dicunt sanguinem Christi esse poculum externum. Certum est quod nobis non permittunt in cæna panem aliud esse quam externum, & poculum aliud quam externum, utcunque reclamemus ex uerbis Christi.

Vides ne tandem quo deiiciatur nobis corpus & sanguis Christi? Hic exostulare cum eis, quid profit edere panificatum corpus, & bibere poculificatum sanguinem, sed nondum est huius fabule finis. Non enim hoc quod dixi uolunt, sed nemo aliud quam quod dixi ex inuersione eorum potest colligere, quando simul iactitant sese omnia uerba accipere in primaria significatione,

M Itaque

Itaq; sic dicunt, Non docemus legendum, Corpus meum est hic panis, sed quemadmodum uerba habent, Corpus meum est hoc, & quanquam de calice legatur, Hoc poculum, non simpliciter Hoc, tamen censemus stygmen poni oportere post Hoc, ante poculum, id est, inter Hoc & poculum, sic τὸ τοῦτο, τὸ ποτῆριον, ut ita legas & intelligas, Nouum Testamentum in meo sanguine, qui pro uobis effunditur in remissionem peccatorum est hoc, quid? nempe poculum. Hic ualde commode poculum esset omissum. Porro, inquirunt, quando docemus sic construendum, Corpus meum est hoc, non intelligimus Hoc, id est, hic panis, sed simpliciter, Hoc, id est, panis, & panem non intelligimus panem corporalem, sed spiritualem, qui pascit animam, ut sic dicat Christus demonstrans panem quem frangit, Corpus meum est hoc, id est, panis, nempe spiritualis, & ita conueniat hoc cum eo quod dicitur Ioannis sexto, Caro mea uere est cibus. Sic & de alice intelligimus uerba Christi, Nouum Testamentum in meo sanguine, qui pro uobis effunditur, est hoc, nempe poculum, scilicet, non quod tenet uel dat Dominus sed spirituale, quemadmodum Christus dicit Ioannis sexto, Sanguis meus uere est potus.

Satis crasse nunc tibi ob oculos posui optime lector, quomodo isti conferant uerba cenae dominicae cum sexto Capite Ioannis. Apud eos haec oratio non est ut

est uera, Panis est corpus Christi, etiam si Christus dicat, Hic panis est corpus meum, quemadmodum & postea dicit, Hoc poculum uel hic calix &c. Non, inquam, est uera, nisi conuertas & retrograde legas omnia sic, Corpus Christi est panis &c. ita tamen ut non significantur panis & poculum, quae distribuit Christus in cena, sed alia, nempe panis spiritualis & poculum spirituale.

Non dico nunc quam ista non commode cohaerant in institutione Christi, Accipite, comedite, corpus meum est panis spiritualis, Accipite, bibite, sanguis meus est potus spiritualis, nisi multa addas ex tuo sensu, quemadmodum isti solent, nisi etiam cohaerere putes, si quis porrigendo tibi panem uulgarem dicat, Accipe, comede, musca uolat, & postea pro sui dicti confirmatione addat multa dicens, Itur in antiquam syluam stabula alta ferarum. Et, quis est adeo indoctus, qui nesciat octo esse Grammaticis parteis orationis &c? Interim possunt haec omnia esse uera, nempe quae musca uolat, quod itur in antiquam aliquam syluam &c. tu tamen nisi plane sis stupidus, requires qui ista sibi cohaerant, non enim licet inferre aut probare quodlibet ex quolibet. Ita non requirimus ex eis num uera sint, quae de spiritali cibo & potu multa dicunt, & quod elementa huius mundi non possint iustificare, immo quod sola carnalis Sacramenti comestio

M 2 non sit

non sit remissio peccatorum &c. quæ sine eis scimus
& uera esse docemus.

Quoniam mirer sepe apud me, quosdam tam im-
pudentia contra nos iactare mendacia, mirer etiam
quod propter ea, quæ de nostris Sacramentis asseri-
mus, mentiuntur nos fidere elementis huius mundi, &
iusticiam sperare in aquila baptismi, & in pane &
uino, quasi uero res istas externas habeamus sine
uerbo & institutione ac iussione Christi Domini no-
stri. In hoc uerbo fidimus, quod non est elementum
huius mundi, sed ueritas Dei, quæ manet in æternum.
Alioqui sine isto uerbo permitteremus uobis panem
esse panem, sicut lapidem lapidem, ficus ficus &c.
Sed uestræ opinioniones sunt uobis Christi uerbo multo
chariores.

Quid ergo requirimus ex eis? hoc solum ut certi-
ficent conscientias primum suas, deinde & aliorum,
qui conueniant ea quæ dicunt illis uerbis, quibus Chri-
stus instituit nobis hoc sacrum conuiuium, num conuer-
sio uerborum respondeat illi uerborum ordini, quo
Christum scribunt Euangelistæ expressisse, deniq; ut
dicant nobis quando præstituri sint quod promiserunt,
nempe se uelle accipere omnia uerba huius sacre in-
stitutionis simplicissime in propria & naturali om-
nium uerborum significatione, ita ut nihil addant &c.
Vidco enim quod ista promissione damnarint quidem
omnes

omnes alios Sacramentarios, ut soli habeant glori-
am, quam alij tantopere quæsierunt, sed nos interim
falsa spe luserunt. Nam statim in ipso sermonis exor-
dio, ex pane qui frangitur à nobis, faciunt panem spi-
ritualem, Hoc scilicet est omnia uerba Christi acci-
pere in naturali significatione?

At hic expostulo cum eis, Si secundum naturalem
ut dicitis panis significationem, propter Christi insti-
tutionem, panis externus fit uobis panis spiritualis,
unde pascatur spiritus. Dicitis enim, Corpus meum
est hoc, id est, panis, & ne quis panem externum in-
telligat, additis spiritualis, & simul dicitis uoces ma-
nere in propria & naturali significatione. Si natura-
lis significatio est hic, ut panis qui frangitur significet
non panem externum, sed spiritualem, ut panis hic sit
uobis panis spiritualis, quo probetis hic Christum pro-
nunciare his uerbis, Hoc est corpus meum, quasi di-
cat, corpus meum est panis spiritualis, alioqui non ui-
deo quomodo panis quem Christus tenet in manibus,
non potius naturali significatione significet materia-
lem panem quam spiritualem. Si, inquam, ista uestra
uera sunt, quemadmodum promistis uos omnia uelle
accipere simplicissime. Si panis in cena est panis spi-
ritualis, alioqui quomodo constaret, quod exponitis,
Corpus meum est hoc, id est, panis spiritualis, quando
nulli dubium est, HOC, hunc panem significare, qui
M 3 ibi mani-

ibi manibus & ore tractatur? Cur queso nos accusatis, quod fatemur panem dominicum in cæna esse corpus Christi, quando non inuitimur nostris somnijs sed certis Christi uerbis?

Quis est panis spiritualis nisi Christus, quemadmodum & uos dicitis ex Ioannis sexto. Caro mea uere est cibus &c? Si ergo panis cænæ est uobis panis spiritualis, cur non est nobis corpus Christi? Si tantum ualent uestræ inuersiones & additiones, cur non ualeat nobis ipsa simplicissima Christi institutio, quam uiolare deprauatis nonnullis uerbis nefas ducimus?

At non audis Pomerane? Nos non dicimus Christi corpus esse panem hunc, qui in cæna tractatur, ut intelligas, Corpus meum est hoc, id est, hic panis, sed esse panem, ut intelligas, Corpus meum est hoc, id est, panis, non quidem hic corporalis, sed spiritualis. Audio, intelligo, sed ita non manet naturalis uerborum significatio. Naturalis enim significatio huius dictiois Hoc, in uerbis Domini (id quod nemo negare debet) significat non quemlibet panem, sed solum hunc panem, qui in cæna demonstratur.

Permitte nobis itaq; ut uerba eo ordine accipiamus, quo Christus expressit & Euangelistæ descriperunt, & præstemus quæ uos præstare non potestis, nempe ut accipiamus uerba Christi simplicissime, & uicimus,

uicimus, atque adeo uictoria nostra stat in uerbo Christi.

Vides mi lector quàm belle accipiant Christi uerba in naturali significatione, sed stultus ego qui hoc contra eos in una dictiuncula ostendere uolo, qui ut nulli unquam Sacramentarij totam orationem & ordinem uerborum Christi inuertunt, aliã inducentes sententiã, quæ hic in his Christi uerbis non est, nec esse potest. Tutistæ sunt sed alia ratione quàm illi primi Sacramentarij. Habent enim hic duplex τὸ το, id quod dicunt neglectum à sanctis patribus, atq; inde secutum errorem, quem nunc hac deprauatione sua & inuersione corrigunt, quasi ignoratum sit à patribus aut nobis, aliud esse quando dicit Christus, Hoc est corpus meum, & aliud quando dicit, Hoc facite, aut quasi patres non norint allegorias, quibus uel Origenes & post eum Hieronymus plus æquo sepe abundant, aut quasi nos ignoremus allegorias, uel illas ueras in scriptura proditas, uel etiam illas quibus multi putant sibi licere quodlibet ubiq; fingere ex quolibet.

Et ne dicamus istos nostros ludere allegorijis, à uocabulo allegoriæ tantum abstinere, cæterum quod ad rem attinet, quis non uidet quid agant? qui etiam Significatistæ si fieri potest esse nolunt, & non allegorias se tractare, sed imaginem & ueritatem nobis proponere dicunt, atq; hunc locum de imagine &

ueritate tanti huc quidam scribens fecit, ut diceret, nullum unquam magis necessarium locum in scripturis reuelatum, atque illum de imagine & ueritate. Quid audio? remissio peccatorum & iusticia aeterna quae est per Christum, ex scripturis iam reuelata per gratiam Dei patris nostri, scilicet multo inferior est quam locus de imagine & ueritate? quasi uero ualde nouum sit dicere, Panis materialis significat panem spiritualem, uel ne peccem in hos, qui non uolunt uti uerbo significat, Panis materialis est imago illius panis qui est spiritualis. Sicut enim ille corpus, ita hic animam pascit &c. Quid inuat illa protrita quasi nouam reuelationem mundo uendere, ut uideare nouus autor?

At ais, in hac oratione, Corpus Christi est panis spiritualis, omnia uocabula accipiuntur in propria & naturali significatione, quis negat? At haec, quid ad panem caenae in hac istorum inuersione? Breuiter, Nolunt esse significatiuae, ut audisti, neque; alijs Sacramentarijs similes, nisi in hoc solo, quod negant panem Domini & poculum Domini esse corpus & sanguinem Christi, id quod nos contra eos asserimus, non ob ipsa elementa panis & uini, sed propter ipsa uerba Christi &c.

Quid ergo sunt? Certe sunt preposterum & inuersiones uerborum Christi, ne unam quidem dictionem
(si orationem

(si orationem & sententiam spectes) in propria & naturali significatione accipientes, Duplicem faciunt conuersionem (sic enim nunc libet loqui) alteram conuersionem simplicem, Panis est corpus meum, Corpus meum est panis, Hic caue ne dicas, Hic panis. Alteram conuersionem per accidens, Panis est corpus meum, Corpus meum est panis spiritualis, Et tamen etiam si sexcenties conuerterent omnia, non sequeretur illa consequentia, quam solam uolunt tanto cogitatum suarum sudore illatam, Ergo panis Domini in caena non est corpus eius. Manet enim perpetuo illa aeterna ueritas quae pronunciat, Hic panis, quem uobis do & distribuo, est corpus meum, Hoc poculum, quod uobis bibendum do, est sanguis meus.

Haec itaque de collatione eorum, qua conferunt caenam dominicam cum sexto Capite Ioannis, & de promissione magnifica, qua promittunt se hic omnia Christi uerba in naturali accipere uelle significatione. Iam dudum, ut puto, acceperunt Hoc pro tale, ut Hoc, id est, tale quiddam est corpus meum, id quod, utcumque non institutioni Christi, tamen perbelle quadraret ipsorum & sententiae & inuersioni, ut possent non Talistae sed Talistae dici, nisi timuissent hoc ipsum non satis respondere suae promissioni.

Vide nunc reliqua eorum uerba, Et diuidimus, inquit, canam Domini in spiritualem comestionem &
M s bibitionem

bibitionem, & in dignam commemorationem siue panis fractionem, & calicis Domini bibitionem, ut Paulus uocat.

Confuse satis hæc dicuntur, quemadmodum dici debet ab illis, qui uel non intelligunt quæ dicunt, uel fateri nolunt quod sentiunt, fractionem pro comestione accipiunt, alioqui non dicerent, panis fractionem & calicis Domini bibitionem, sed hoc parum moror, ne putent me calumniari uelle.

Miror uero cur commemorationem idem faciunt quod fractionem siue comestionem panis, & bibitionem calicis, quando & secundum eos & secundum nos panis Domini & alix Domini possit à quibusdam sumi absq; Christi commemoratione, sed male, ad iudicium, contra iussionem & institutionem Christi, quæ ergo separari possunt non sunt idem, tametsi in cana Domini coniungi debeant, ut & ego supra dixi.

Quod autem de spiritali comestione & bibitione dicunt, sancta quidem specie dicunt, sed duplici iniuria, altera contra institutionem Christi, ne panis qui hic corporaliter editur, credatur esse corpus Christi, de quo tamen Christus dicit, Hic panis est corpus meum. Quod si tibi displicet, quod dico hic panis, non displiceat quod sequitur, Hoc poculum &c. Altera contra nos, quasi nos doceamus corporalem istam huius Sacra-

huius Sacramenti comestionem & bibitionem absq; spiritali, hoc est externum Sacramentum (quod in se continet ea quæ sensus non percipit, sed Christus dicit) absq; fide sumendum, Nam ista mendacia iam dudum quidam nituntur spargere in uulgus, sed frustra, reclamantibus nostris publicis scriptis & doctrina.

Diuidant igitur isti ut uelint canam dominicam, nos hic edimus Christi corpus & bibimus Christi sanguinem, in Christi commemorationem, quemadmodum satis supra de pane & calice Domini diximus.

Addunt uero, In commemoratione faciunt Christiani quod Christus fecit & postea facere iussit in sui commemorationem, postquam suum corpus dedit (nempe in cruce) & suum sanguinem effudit in remissionem peccatorum, quemadmodum hæc in uerbis Domini & Pauli latius sunt expressa & clarius.

Respondeo, Sancta uerba dicitis, quæ nobis quidem sancta sunt sed non uobis, Primum, quia isto furo uos ornatis, ne uulgus existimet uos contra Christi institutionem sentire, Deinde, quia his uerbis alioqui apud Christianos ueris, queritis hoc Satana mendacium statuere, Christi panis non est Christi corpus, Christi poculum non est Christi sanguis, contra Christi manifestam institutionem. Quem autem Christi panem dicam aut quod Christi poculum, ex Pauli uerbis
notum

notum est, qui dicit, Panem hunc & poculum Domini
& c. nempe de quibus Dominus noster Iesus Christus
pronunciauit, Hic panis est corpus meum, Hoc pocu-
lum est sanguis meus.

Dicitis hæc in uerbis Domini & Pauli latius ex-
pressa, ut qui ignorant ueritatem interim sic magnifi-
ce de uobis sentiant. Si ea quæ isti dicunt, sunt latius
in uerbis Domini & Pauli expressa, quid alij contra-
dicunt? quis sine impietate contradicit uerbis mani-
festis & expressis Domini & Pauli? Et nos ergo di-
cimus ista latius in uerbis Domini & Pauli expressa,
sed non pro uobis. Nondum enim sic induxistis aut
obliterastis nobis omnia quæ sacram hanc Christi in-
stitutionem nobis describunt, ut non uideamus quid
uelint.

Eodem furo meministis sæpe corporis Christi in
cruce traditi, & sanguinis in cruce effusi, non quod
horum meminisse non dicamus necessarium in hac sa-
cra cæna, quam docemus institutam in Christi com-
memorationem siue annunciationem mortis eius, sed
quod ueremini ne quis ita de uobis male sentiat, Hi
multa loquuntur de cæna Domini, cur interim non
dicunt de corpore & sanguine Christi?

Quod uero dicitis, In commemoratione faciunt
Christiani quod Christus fecit & postea facere iussit
& c. nemo negat. At interrogo uos qui hæc dicitis,
quando

quando multa dicitis de faciendo quæ Christus iubet,
cur non uel semel dicitis de credendo quæ Christus
dicit? sed ne effugium queratis, de fide loquor uer-
borum Christi, quæ loquitur in cæna, Hic panis est cor-
pus meum, hoc poculum est sanguis meus. An non satis
hactenus erratum est dum opera arripimus, uerbum
Christi abijcientes? Vbi est professio uestra, qua profe-
temini multa uos docere de fide & spiritu, ut interim
ex uerbis uestris homines de nobis male sentiant, quasi
omnia doceamus de Sacramento absq; fide, quasi abse-
rentes ueritatem uerborum Christi, negemus interim
ueritatem fidei Christianæ?

Ex his uerbis uestris consequitur uos nõ esse Christi-
anos. Si enim Christiani sunt, qui in hac cõmemoratio-
ne faciunt quæ Christus iubet, uos Christiani non estis.
Quando enim faceretis quod Christus iubet, qui non
creditis hic quod Christus dicit? Christus dicit, Hic
panis est corpus meum, Hoc poculum est sanguis meus.
Non creditis hæc uerba esse uera, quæ tamen asseri-
tis in propria & naturali significatione accipi oportere.
Christus dicit, Pro uobis frangitur, Vos autem
clamatis corpus Christi si est in pane omnino nobis
inutile esse, Dum itaq; sic negatis quæ Christus mani-
festis uerbis asserit, quæ est illa fides de qua gloria-
mini? quam fiduciam potestis habere in Christum, qui
contenditis contra Christi uerbum? Asserit ille, uos
negatis,

negatis. Qui, inquit, non est mecum aduersum me est,
& qui non colligit mecum dispergit. Quia uero non
creditis, quæ Christus in hac sacra institutione dicit,
consequitur necessario, quod uos estis illi ipsi qui non
faciunt in hac commemoratione quod Christus iussit.
Siquidem dominus non iussit, Accipite, comedite panem
qui non est corpus meum, quemadmodum uos dicitis
eum iussisse, sed, Accipite, comedite panem qui est cor-
pus meum, quid enim aliud potestis accipere ex his uer-
bis, Accipite, comedite, Hic panis est corpus meum?
Sic & non iussit bibere solum poculum, sed poculum
quod est sanguis eius. Christiani itaque quemadmodum
dicitis hic faciunt quod Christus iussit, edunt corpus
Domini, credentes panem quem edunt esse corpus
Domini, propter eius uerbum dicentis, Hoc est cor-
pus meum, & bibunt sanguinem Domini, credentes
poculum quod bibunt esse sanguinem domini, propter
eius uerbum dicentis, Hoc poculum est sanguis meus.
Hoc ita à Christo iussum uos non facitis, immo etiam
resistitis omni conatu & doctrina, ne alij faciant,
ubi est ergo uester in hac parte Christianismus?

Non potestis celebrare canam dominicam, etiamsi
uno die sexcentis ad uestra excogitata tanquam ad
canam dominicam conueniatis, quia uestrum panem
& uestrum poculum, quæ fingitis uos accipere secun-
dum hanc Christi iustionem, institutio Christi non ag-
noscit,

noscit, quocumque nomine appellaueritis, non est hoc
quod Christus instituit, sed potius humana præsump-
tio, & præterea blasphemia manifesta contra Christi
uerbum.

Nunc etiam opera precium est uidere, quid in fine
sue confessionis addant, nimirum hæc uerba, Sic, in-
quiunt, instituit Christus, Paulus Corinthijs ordinauit,
sancti patres in primitiua Ecclesia obseruarunt, Ter-
tullianus, Cyprianus, Hilarius, Augustinus & plures
scripserunt.

Hic si eruditior aliquis eos urgeat, quid uelint his
uerbis, Sic instituit &c. Nam consultum eis uisum est
ut sua obscuritate luderent, & si fieri posset lucem ob-
scurarent. Respondebunt, Primum nos referimus hæc
ad ea quæ proxime præcesserunt, Sic instituit Chri-
stus, ordinarunt Apostoli, seruarunt pij, ut ista fierent
in Christi commemorationem, quasi uero interim sit
aliquis qui hoc neget, Deinde quod seorsum sanctorum
doctorum meminimus, hoc uolumus, quod sancti docto-
res conuulerunt canam dominicam cum sexto Capite
Ioannis ut nos, ut uidere liceat, quanta sanctitas, quan-
ta eruditio, quanta autoritas stet à nobis, Huius rei te-
stimonio est, quod in sextum Caput Ioannis scri-
bentes, multa scripserunt de Eucharistiæ Sacramen-
to.

Interim tamen quid querant isti indoctoribus &
uulgo

wulgo his uerbis persuadere, quis ex nobis non uidet? nimirum hoc & non aliud. Sciunt omnes nos sentire & docere, quod panis cenæ dominicæ non est corpus Christi, neq; poculum sanguis, quando ergo erumpimus isto epilogo & magnificis uerbis, Sic instituit Christus, Paulus ordinauit &c. quid aliud cogitabit stultum uulgus, quod egregie ignorat quid dicamus, quam quod Christus, Apostoli, omnes doctores, atque adeo omnes pij sentiant nobiscum, & indignabitur illis qui docent, hunc panem esse corpus Christi, hoc poculum esse sanguinem Christi, Coram cruditis & urgentibus habemus aliud quod respondeamus. Sed sic ludere in re seria est signum hominum Deum non timentium, id quod uiderit Deus.

Nos itaq; illis uerbis sic respondemus, Quid Christus instituerit nemo potest ignorare, qui uoluerit uideri institutionem hanc claris uerbis in Euangelistis & Paulo descriptam, Si qui autem sunt sua opinione contra Christi uerba tam lucida excæati, utcumq; glorientur de sua eruditione, non debet cæcitas clarissimum solis lunem accusare. Quid Apostoli ordinarint, quis non uidet in ordinatione illa Pauli apud Corinthios? nisi Paulus non sit Apostolus & eius ordinatio non sit Apostolica, ut non dicam, q; ubi Christus in ultima cenâ ordinauit & instituit hoc Sacramentum corporis & sanguinis sui & iussit ita fieri, non licet

licet ulli Apostolo, ulli Ecclesiæ aut Angelo mutare aut aliter ordinare, quemadmodum Paulus dicit, quod annunciatio mortis Domini, quoties ederimus panem & biberimus alicem Domini, debet manere in Ecclesia fidelium, donec ueniat, id est, usq; ad extremum mundi diem, etiam reclamantibus papistis, etiam reclamantibus Sacramentarijs, quibusq; autem suo modo.

Nam si uis scire quid Apostoli ordinare, quid Ecclesiæ Dei obseruare, quid doctores Ecclesiæ docere & scribere, quid omnes fideles sentire debeant de hac sacratissima corporis & sanguinis Christi institutione, quo uertes oculos nisi ad ipsa huius institutionis uerba & Christi mandatum? Quod autem contra hæc uerba & mandatum Christi tam expressum obseruatum alicubi, doctum aut scriptum fuerit, quis piorum probabit? Nulla autoritas debet hic nobis abrogare Christi autoritatem, de quo dixit pater, Hunc audite, & qui non audierit, ego ultor existam, & ipse Christus Ioann. 12. Qui, inquit, spernit me & non accipit uerba mea, habet qui iudicet eum, Sermo quem locutus sum, ille iudicabit cum in nouissimo die.

Vis scire quam autoritatem prætendant Apostoli, tradentes Ecclesijs Christi hanc sacram Christi institutionem? audi Paulum dicentem, Ego enim accepi à Domino quod & tradidi uobis, quoniam Dominus
Noster

noſter Ieſus Chriſtus in ea nocte qua tradebatur &c.
Non uoluit nec debuit hic aliud tradere quam à Chri-
ſto acceperat, nam & ipſe ſcripſerat requiri in diſ-
penſatoribus, ut fidelis aliquis inueniatur.

Cum Eccleſia itaq; quam uocamus catholicam &
Apoſtolicam, quæ Chriſtum audit & facit hic quem-
admodum Chriſtus inſtituit & iuſit, nos integram &
inuiolatam ſeruamus hanc Chriſti inſtitutionem, id
quod nullæ portæ inferorum hætenus quacunq; ſpe-
cie aliter nobis perſuadere iam reuelata ueritate po-
tuerunt. Si qui aliter docent & præcipiunt contra
Chriſti inſtitutionem, iactantes interim ſe eſſe Eccle-
ſiam, & Eccleſiam poſſe aliter ordinare contra or-
dinationem & mandatum Chriſti, uiderint quid di-
cant, certe ad Eccleſiam catholicam & Apoſtolicam
quæ Chriſtum audit, ſaltem in hac cauſa non perti-
nent.

Porro ut pergam, quid præterea ſancti patres in
Eccleſia primitiua obſeruarint, notum ruruſum eſt ex
Epiſtola Pauli ad Corinthios, niſi etiam ſanctus Pau-
lus non ſit unus ex ſanctis patribus, & Corinthij qui-
bus tunc ſcribebat & quibus prædicauerat, non per-
tineant ad primitiua illam Eccleſiam. Da mihi aliqua
Eccleſiam priorem uel antiquiorẽ, q̃ obſeruarit hanc
Chriſti inſtitutionem aliter, aut quæ crediderit pa-
nem cenæ Domini non eſſe corpus Domini? ad quæ
obſcura

obſcura nos mittis præſente tanta luce? Si de primi-
tiua Eccleſia, quid obſeruarit, agitur, ecce habes Ec-
cleſiam Corinthiorum ab Apoſtolo Paulo inſtitutam.

Quos ergo patres nobis obijcies contra Chriſtum
& contra Chriſti Apoſtolos? Doctrinam Apoſtoli-
cam, quæ Chriſti eſt, ſuſcipere debent Chriſtiani, im-
mo oues Chriſti uocem ſui paſtoris audiunt. Nihil ue-
ro pertinet ad eas, ſi qui quacunq; ſpecie uel ſcriptu-
rarum uel ſanctitatis aliter docent, Alienum enim non
ſequuntur, ſed fugiunt ab eo, nam uocem alienorum
non nouerunt. Apoſtoli fundamentum Chriſtum poſue-
runt ſua doctrina. Omnis autem alij doctores ab
Apoſtolis uſq; ad finem mundi hoc præcepto tenen-
tur. 1. Corinth. 3. Vnuſquiſq; uideat quomodo ſuper-
ædificet, ne pius doctor incaute lignum, fœnum, ſtipu-
lam ſua doctrina ſuperædificet, id eſt, humana, quæ
non ſunt uerbum Dei, quæ oportet aliquando confun-
di & perire, Nam omnis caro fœnum, & omnis glo-
ria eius quaſi flos fœni &c. Verbum autem Domini
ſtabit in æternum.

Qui uolunt eſſe ſancti & Eccleſiæ doctores, prius
audiant ipſi Chriſtum, & ſic proponant nobis, non
quæ ipſi uidentur, ſed quæ acceperunt à Chriſto, quæ
admodum Paulus de hac Chriſti inſtitutione dixit,
Ego enim accepi à Domino quod & tradidi uobis.
Alioqui dic mihi unde poſſent dici uel eſſe ſancti do-
ctores?

Hæc interim dico, quasi sint aliqui ex ueteribus doctores, qui dicant panē cænæ dominicæ non esse corpus Christi, & poculum non esse sanguinem, quod si dicrent, non tam contra nos dicerent quàm contra Christum, contra Paulum, contra obseruationem primitiuæ Ecclesiæ quam uides apud Corinthios, Christianus scilicet tales audiret?

Nunc uero quando ueteres non hoc dixerunt, quid opus est sanctos uiros ista inuidia apud Christianos grauare? Nam tametsi quædam sexti capituli in Ioanne de Sacramento panis & uini, quod Christus in cæna instituit, intellexerunt, quod quàm non indigne feramus, postea forte dicam, tamen non dixerunt, quod posset esse contra nos, pro illis qui negant panem in cæna Domini esse corpus Domini, immo clari uerbis dicunt quod Christus dicit, nempe panem esse corpus Domini, & poculum sanguinem.

Siue ergo uerbis sexti capituli Ioannis pro Sacramento panis & uini recte usi sint siue etiam abusi, tamen pro nobis dicunt, scilicet id quod Christus instituit, panem hunc esse corpus Christi, & poculum sanguinem, propter Christi institutionem.

Hoc quando doctus Oecolampadius & lectionis ueterum studiosus non ignorauit, nempe ueteres quædam in sexto capite Ioannis manifeste interpretari de hoc sc.

hoc Sacramento, miror qua conscientia cum quibusdã manifestis Chrysostomi uerbis premeretur, sic ausus fuerit scribere. Qui, inquit, hæc Chrysostomi legunt, memores esse debent legere se commentarios in sextum caput Ioannis, ubi Christus nihil de Sacramentaria manducatione loquitur.

Esto enim ibi Christus de Sacramentaria manducatione non loquatur, id quod & ego uerum puto, tamen patres ibi non obscure quædam de Sacramentaria manducatione dixerunt, & de Sacramento panis & uini quædam uerba Christi intellexerunt, id quod Augustinus de consensu Euangelistarum in principio libri. 3. sic dicit, Cænantibus &c. Ioannes autem de corpore & sanguine domini hoc loco nihil dixit, sed plane alibi multo uberius hinc dominum locutum testatur. Hæc Augustinus.

At ais, Patres in sextum caput Ioannis multa simul dicunt de spiritali carnis & sanguinis Christi manducatione. Cur non? quid enim illic commodius dicerent? sed propterea non negant Sacramentariam illam corporis Christi manducationem, quam Christus in cæna instituit, immo hanc non obscuris uerbis confirmant, sed hanc sine illa fieri ad iudicium, quemadmodum & Paulus dicit.

Audiamus uero ipsos patres, quorum nomina isti expresserunt, ut uideas quid de Sacramento hoc panis & uini sentiant.

N 3 Tertullia

Tertullianus in libro de resurrectione carnis,
dicit carnem nostram corpore & sanguine Christi
uesci, ut & anima de deo saginetur. Quid clarius po-
tuit dici contra Sacramentarios? de Sacramento enim
illic loquitur.

Cyprianus uero cum triginta nouem Episcopis
scribit ita Cornelio Episcopo Romano, ut legis lib.^{1.}
Epistolarum capite. 2. At uero nunc non infirmis, sed
fortibus pax necessaria est, nec morientibus sed ui-
uentibus communicatio a nobis danda est (de illis
hæc dicit, qui in persecutione negauerant Christum,
& postea resipiscentes parati erant pro Christo pa-
ti) ut quos excitamus & exhortamur in prelium,
non inermes & nudos relinquamus, sed protectione
corporis & sanguinis Christi muniamus, Et cum ad
hoc fiat Eucharistia, ut possit accipientibus esse tu-
tela, quos tutos esse contra aduersarium uolumus, mu-
nimento dominicæ saturitatis armemus, Nam quomodo
prouocamus eos in confessione nominis sanguinem su-
um fundere, si eis militaturis sanguinem Christi dene-
gamus? Aut quomodo ad martyrij poculum idoneos
facimus, si non eos ad bibendum prius in Ecclesia po-
culum Domini iure communicationis admittimus?
Hæc uerba multis modis contra Sacramentarios di-
cta sunt.

Hilarius autem de trinitate libro. 3. sic ait, Si uere
uerbum

uerbum uero factum est, & nos uere uerbum carni
cibo dominico sumimus, quomodo non naturaliter ma-
nere in nobis existimandus est, qui & naturam carnis
nostræ iam inseparabilem sibi homo natus assumpsit,
& naturam carnis suæ ad naturam æternitatis sub Sa-
cramento nobis communicanda carnis admiscuit?
Item, Si uere igitur carnem corporis nostri Christus
assumpsit, & uere ille homo qui ex Maria natus fuit,
Christus est, nosq; uere sub mysterio carnem corporis
sui sumimus, & per hoc unum crimus &c. De Augu-
stino antea dixi.

Quando itaq; tanti uiri pro Christi uerbo ita dixe-
runt, cur nunc eos infames reddimus, quasi ubi Chri-
stus dicit, Hoc est corpus meum, ipsi dixerint, Hoc non
est corpus tuum? Ut nunc non repetam, quod etiam si
patres scripsissent pro Sacramentarijs, id quod non
fecerunt, & si quedam eorum obscuriora uerba tibi ui-
deantur eò trahi, uide quæ alibi clarius & manifestio-
ribus uerbis dicunt, Si, inquam, scripsissent pro Sacra-
mentarijs, tamen Christianis debet illibata manere se-
cundum omnia uerba hæc sacra Christi institutio, sub
Apostolis in primitiua Ecclesia seruata.

Vides igitur nunc tandem opinor, quid sibi uelint
illi Sacramentarij, qui contra omnes alios Sacramen-
tarios promittunt se omnia uerba accipere uelle in
propria & naturali significatione, quando Christus
N 3 dicit,

dicit, Hoc est corpus meum &c. ut nos sibi obnoxios
faciant, & tamen ne a Sacramentarijs discedant, ne-
gant panem hunc esse corpus Domini, & poculum
sanguinem, non tam conferentes, quemadmodum falso
promittunt, cenam Domini cum. 6. capi. Ioannis, quam
potius uerba Christi inuertentes, ut præpostero ordine
accipiantur, & totam Christi hanc institutionem sub-
uertentes. Allego-riarum ludus & uana hominum com-
menta non debent nobis auferre uerborum Christi ue-
ritatem.

Hæc autem libentius de his Sacramentarijs dixi,
quàm de alijs, non solum quod alij iam notiores sunt
ex publicis suis scriptis, quàm ut posthac opus sit pro-
dere quid uelint, sed etiam quod hi de quibus nunc
dixi, solent nos & literis missis & coram per sermo-
nem admonere, & per horrendum Dei iudicium &
omnia Christianorum sacra adiurare, ut si quid errare
eos uideamus indicemus, id quod etiã nunc uideo postu-
lari in publico eorum scripto, quod utinam qui scrip-
serunt non sub alieno sed sub suo nomine ædidissent.
Ecce præstiti quod potui, si me audiunt lucratus sum
fratres. Deus est mihi testis & Dominus noster Iesus
Christus, quod credo me uera dixisse, Non possum a
certis Christi uerbis, & institutione hac, quam Mar-
cus, Mattheus, Lucas & Paulus descripserunt, ad uana
hominum commenta & fluidas illorum, qui uer-
bum Christi contemnunt, opiniones deficere, Carior
nobis

nobis debet esse nostra salus, quàm ut pro certissimis
& indubitatis Christi uerbis incerta & humana am-
plectamur.

Quod si me ut indoctiorem & rudiorem contemp-
serint, quasi non intelligam præ mea carnalitate ipso-
rum spiritualitatem, quemadmodum his fastuosis uer-
bis inflati mente carnis suæ, nescientes de quibus affir-
mant, contra nos erigi solent, interim tamen trepidis
(de quo non dubito) conscientijs, quod Deus & uer-
bi Dei ministri talia tandem non sint passuri, solabor
meipsum & cantabo cum Psalmista dicens, Ibi timent
timore, quoniam Dominus in generatione iusti est,
Consilium humilis siue despecti pudefacitis, quoniam
Dominus est fiducia eius, Hæc in hac causa mea fidu-
cia est, quod nihil assero contra Dominum & contra
Christum eius, quod do gloriam uerbo & institutioni
Domini mei Iesu Christi ego peccator.

Quod si aduersarij quedam me durius dixisse con-
questi fuerint, ut solent quando ueritati cedere no-
lunt, sciant me malam ipsorum doctrinam bonis uerbis
ornare non debuisse,

Verum quando uideo ab his sextum apud Io-
annis in eum abusum assumi, ut ex eo negent
sacram Christi de cena hac institutione, id est,
ut statuunt panem Domini non esse corpus Domini, &
N s poculum

poculum sanguinem, id quod nemo unquam ueterum fecit, qui quibusdam uerbis ex sexto capite Ioannis pro hac Christi institutione non contra eam usi sunt, ut diximus antea, Dicam meam de sexto capite Ioannis sententiam, & quam non me male habeat, si quis quaedam intelligat pro hoc Sacramento, ut & quidam ex ueteribus quaedam intellexerunt, non enim damnamus quae pie & uere dicuntur, etiamsi quandoq; non suo loco dicantur, modo non abutaris ad falsitatem statuendam contra Dei ueritatem, ut nunc ab istis fieri uideo.

Primum sexto capite Ioannis narratur historia saturata turbae ex paucis panibus & piscibus, Deinde turbam, cum quaereret Iesum, audisse, Amen Amen dico uobis queritis me, non quia uidistis signa, sed quia comedistis de panibus & saturati estis. Operemini non cibum qui perit &c. A quo loco admonet, ut non querant cibum unde uenter saturetur, sed cibum spiritualem unde habeant uitam aeternam, filium autem Dei qui pro nobis carnem & sanguinem assumpsit, hunc esse cibum, Hinc se uocat panem qui de caelo descenderit, atque gloriosum Iudeorum illud Manna uix huius panis ueri siue caelestis Manna ueram fuisse dicit.

Edi autem hunc panem, siue ut postea dicit, edi hanc filij Dei carnem & bibi hunc filij Dei sanguinem, fide, ut inde habeas non uentris saturitatem ad horam

horam sed uitam aeternam, ut scilicet perpetuo edas spiritualiter filij Dei carnem, & bibas filij Dei sanguinem, hoc est carni & sanguini filij Dei, atque adeo ipsi filio Dei siue Christo Deo & homini (quando Deus & homo in ista Christi persona separari non possint) incorporeris, donec non cessaueris credere filium Dei pro te carnem & sanguinem, id est, uerum hominem factum, & carnem eandem & sanguinem pro te in cruce expendisse, non credens aut sperans in aliquo alio salutem aut uitam aeternam, quam in isto unico filio Dei incarnato.

Sic credere perpetuo, est perpetuo spiritualiter edere & bibere Christi filij Dei carnem & sanguinem, Christo uniri & incorporari, unde fit ut non possis non habere uitam aeternam, quando filius Dei incarnatus, cui sic per fide uniris, non est nisi uita aeterna, ut ipse de sua sponsa a sese mundata & sanctificata possit dicere, Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea, id quod uides Ephe. s. quemadmodum & hoc loco dicit, Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in eo, Sicut misit me uiuens pater, & ego uiuo propter patrem, ita qui ederit me uiuet ipse quoq; propter me, habet itaq; uitam aeternam, & ego suscitabo eum in nouissimo die.

Hanc autem quam dixi illic esse sententiam in uerbis Christi

bis Christi & toto illo sermone, nempe illic doceri & commendari fidem siue fiduciam in Christum incarnatum, siue in Christi carnem & sanguinem, quæ non est caro ut alia caro hominum peccatrix, sed caro filij Dei, neq; is sanguis est sanguis ut aliorum, sed sanguis filij Dei, declarant manifestissime totius sermonis Christi uerba, ut uideas manducatione Christi, qui se panem uitæ appellat & est, siue manducatione carnis & bibitione sanguinis Christi, nihil aliud illic commendari quam fidem in Christum incarnatum, in istum mediatorem Dei & hominum, in istum crucifixum, qui factus est nobis à Deo sapientia, iusticia, sanctificatio & redemptio, ut qui gloriatur, in Domino gloriatur, quod hunc pater proposuit nobis, ut sit nostrum propiciatorium per fidem in suo sanguine.

Nam sine fide, quæ est in hunc mediatorem, mera hypocrisis & mendacium est, si dicas te credere in Deum creatorem cæli & terræ, quemadmodum nunc Iudei præsumunt, quibus & olim dixit Christus, Vos dicitis Deum esse patrem uestrum & non nouistis eum, ego autem noui eum, & si dixero quod non nouerim eum ero similis uestri mendax. Qui enim potes credere in eum siue fiduciam habere in eum, quem, ubi serio res agitur, sentis esse iratum iudicem, nimirum tuis peccatis in conscientia grauatus? fugies potius à conspectu eius, quemadmodum Iudei in Horeb.

Horeb. Tunc autem accedes ad patrem, ubi fide cognoueris eius unigenitum traditum pro te, per quam fidem iam bonam conscientiam habes de remisso peccato & reconciliato Deo, atque adeo te iam filium Dei factum, id quod alibi dicit, Ego sum uia, ueritas & uita, nemo uenit ad patrem nisi per me.

Hic testis est mihi Deus, quam abhorream à dogmate impio Zuinglij, ut ab eo quo facit peccatum originale non damnabile peccatum sed defectum quemdam, ita & ab eo quo nuper docuit publico scripto hæc Christi uerba, Caro mea uere est cibus, sic accipienda, Caro mea, id est, diuinitas mea, quod caro etiam Christi pascere uere non possit, siquidem caro Christi (secundum eum) non prodest quicquam.

Quod si impietas calumnietur quasi ex scripturis, me male dictum, quod confidam in hominem & ponam carnem brachium meum. Respondeo maledictum & anathema esse, qui ista & similia in scripturis intelligit de isto homine, qui Deus est, de ista carne, quæ est caro filij Dei de isto sanguine, qui est sanguis filij Dei, siquidem uerbum caro factum est. Benedictum uero esse & habere uitam æternam, qui cum prophetis & sanctis Apostolis & omnibus electis ex corde fatetur omnibus gentibus benedictionem dari in isto semine Abrahamæ Christo Iesu Domino nostro filio Dei pro nobis crucifixo. Hic est homo qui Deus est, hæc est

caro quæ filij dei est, nõ est in alio aliquo salus, nec aliud nomen sub cœlo datum hominibus in quo nos oporteat saluos fieri. Maledictus ergo qui non confidit in istum hominem Christum, qui Deus est, & qui non ponit istam carnem Christi, quæ caro est filij Dei, brachium suum. Non separabit hominum impietas istam unius personæ in Christo unitatem, postquàm tanta dignatione uerbum caro factum est.

Quin porcurramus ab initio ad finem uerba sermonis Christi? ut uideas aliud nihil hic doceri quàm quod dixi, nempe fidem in filium dei incarnatũ, id est, nostri in illum incorporationem, sub figuratis uerbis edendi & bibendi, quæ tamen ipse Christus tam manifestis uerbis in tam longo sermone exposuit quid uelint, ut non opus sit hic alium audire magistrum, Magistri nostri uerba quid hic uelint requiris, magistri eiusdem tibi interpretationem proponimus.

Operemini, inquit, non cibum qui perit, sed qui permanet in uitam æternam, quem filius hominis dabit uobis, hunc enim pater consignauit Deus. Cibum se dicit, nempe filium Dei incarnatum, id quod infra multis & manifestis uerbis declarabit, ne istam humanitatem & incarnationem filij Dei ita contemnamus, ut audeamus impie & blasphemè cum quibusdam hominibus de ea dicere, Caro Christi non prodest quidquàm. Plane hic uidebis illam Pauli prædicationem, Nos prædicamus

prædicamus Christum crucifixum, Iudæis scandalum, gentibus stulticiam, ipsis autem uocatis Iudæis & gentibus Christum Dei uirtutem &c.

Hic cibus non solum permanet sibi in uitam æternam, sed etiam nobis, Nam propter nos hæc dicuntur, Hic namque solus est cibus uitæ æternæ, id est, unde accipiamus & absoluamur à morte æternæ, & habeamus uitam æternam, ut infra uidebis. Cibus corporis perit & percuncti seruit, Hic autem cibus non perit, sed manducantem in æternam uitam conseruat, est enim uita æterna, quemadmodum alibi dicit, Ego sum uita, ueritas & uita. Et rursum, Hæc est autem uita æterna, ut cognoscant te solum uerum Deum & quem misisti Iesum Christum.

Ne uero aliquis intelligat, quia dixit, operemini cibus hunc &c. quasi suo Marte aut studio aut merito possit aliquis hunc sibi parare cibum, addit, Quem cibum filius hominis dabit uobis. Nisi enim ipse det, ut credas in istum filium Dei incarnatum & Christum crucifixum, nunquam credes, sed perpetuo erit tibi scandalum & stulticia, Ieiunus & aridus manebis, ita ut etiamsi audias & legas rationem istius fidei, tamen in flatu mente carnis tuæ dices, Caro Christi non prodest quicquam, quemadmodum & hodie Iudæi dicunt, Sufficit mihi credere in Deum, creatorem cœli & terræ, qui eduxit patres nostros ex Aegypto &c. ut
non

non habeam præterea aliquem Deum crucifixum, qui seipsum iuuare non potuit &c. Et non uidet interim hypocrisis non esse uerum, quando dicit se credere in Deum creatorem cæli & terre, quemadmodum alibi dicit Christus, Nemo uenit ad patrem nisi per me, & alibi, Patrem nemo nouit nisi filius, & cui uoluerit filius reuelare. Et Ioannes Baptista, Deum, inquit, nemo uidit unquam, unigenitus filius qui est in sinu patris, ipse enarrauit.

Vbi uero filius hominis dederit hunc cibum uobis, id est, dederit ut fide incorporemini in ipsum, tunc operemini hunc cibum, non enim potestis eum operari antequam habeatis siue accipiatis. Tunc exerceatis uos in illa fide in omnibus tentationibus contra peccatum, mortem & Satanam, ut crescatis in augmentum sanctum in Domino, prædicate etiam eam alijs & inter uos, ut & alij incorporentur filio Dei incarnato, & uobiscum sint in uno corpore Christi, ex qua fide etiam sequuntur fructus alij operum bonorum erga proximos, & ut patiaris pro Christo, quemadmodum ipse pro te passus est. Hoc enim est operari hunc cibum, postquam acceperis eum à filio hominis.

Non dubito uero Christum hoc loco, ubi de fide ait, uoluisse uti uerbo operadi, quia iusticiarijs Iudæis loquebatur, qui non in uestigijs sanctorum prophetarum ambulabant

ambulabant, ideo nullam iusticiam cogitare poterunt præter iusticiam illam operum suorum, quæ non iustificat coram Deo. Quos licet ab ista opinione auocet his uerbis, Quem filius hominis dabit uobis, tamen quasi hoc non audierint, quemadmodum fit illis qui suis opinionibus excecati sunt, statim interrogant de suis operibus dicentes, Quid facimus ut operemur opera Dei, id est, opera quæ uelit Deus à nobis fieri? quasi dicant, modo tu dixeris, nihil tam difficile quin faciamus.

Mirum quanto artificio hic depictum sit, quàm omnis simus ex natura affecti, ad sentiendum pro carnis iusticia, contra iusticiam Dei, quæ sola iustificat, id est, ablato peccato dat uitam æternam. Hæc iusticia Christus est.

Respondet autem Iesus, Hoc est opus Dei, id est, quod uult Deus à uobis fieri, ut credatis in eum quem ille misit, id est, in filium Dei incarnatum. Ideo enim missionis meminit ut incarnatum intelligas, Non enim obscurum est Christianis, quomodo filius Dei ad nos missus sit & uenerit, nempe filius hominis factus, siue carne nostra indutus, siue, ut Ioannes ait, caro factus. Sic & infra descensionis de cælo meminit, quia apud nos è cælo missus in carne uera apparuit, Siquidem uerbum caro factum est, & habitauit in nobis, & uisimus gloriam eius &c.

Neq; enim sic caro factus est ut deficit esse Deus, sed sic nunc Deus est ut & homo sit, Quia nisi Deus esset iste filius hominis, qui descendit de caelo misus a patre, non diceret se daturum cibum uitae aeternae, & seipsum esse hunc cibum. Itaq; iste filius hominis est cibus uitae aeternae, atque adeo uita aeterna, quia simul Deus est & homo. Si enim solum homo esset, ubi esset noster mediator inter Deum & hominem, aut si solum Deus esset, ubi esset propiciatorium nostrum in sanguine eius? Optimo iure hic potuisset se filium Dei appellare, sed filium hominis se dixit, ut uideres quid pro te factus sit, & quo spectet haec tota causa quam hic agit.

Ne uero eum, quia filius hominis est, contemnas, Deum se esse prodit, cum dicit se daturum hunc cibum, id est, daturum ut credamus in eum. Siquidem ipse donat ad praedicationem Euangelij spiritum sanctum, quo credimus in Christum, & per Christum certi sumus nos propiciam habere patrem, ut liceat eum cum fiducia inuocare.

Non solum homo est uita aeterna, neq; solum Deus est uita nobis aeterna siue iste cibus, sed placuit deo, ut Christus Dominus, id est, simul Deus & homo pro nobis crucifixus sit nobis sapientia, iusticia, sanctificatio & uita aeterna, id quod addidit dicens, Hunc enim filium hominis pater consignauit Deus, Filium ho-

minis

minis audis & patrem Deum, ut & filium Dei credas esse hunc filium hominis.

Ita multis repeto, ut certe etiam repetit Christus contra illos, qui hodie uerbis quidem dicunt unam personam esse in Christo Deum & hominem, caterum re ipsa separant, quod ad doctrinam attinet, docent enim Christi carnem non prodesse quicquam, & quod de carne Christi dicitur, quod est uere cibus, non de carne eius intelligendum, sed de diuinitate, ut supra dixi.

Hunc, inquit, filium hominis pater consignauit deus, In hoc filio hominis siue homine uoluit Deus pater omnes thesauros scientiae & sapientiae obsignatos & reconditos, frustra alibi quaeris scientiam, ut scias quid placeat Deo quid non, sapientiam, ut cognoscas Deum patrem esse tuum, frustra alibi quaeris remissionem peccatorum siue iusticiam Dei & uitam aeternam, Nam hunc consignauit Deus, ut in hoc propiciatorio inhabitet omnis plenitudo diuinitatis etiam corporaliter, ibi quere deum, illic habitat, frustra alibi quaeris patrem, Qui, inquit, uidet me uidet & patrem meum. Non credis quod ego sum in patre & pater in me est.

Haecenus itaq; proposuit Christus quod na sit opus Dei, nempe credere in ipsum incarnatum, quemadmodum dixi, sine quo omnia opa & conatus nostri sunt nihil

O z coram

coram Deo, quæ fides incorporat nos Christo, ut ipse qui cibus noster est, unde nobis est uita æterna, maneat in nobis & nos in illo, quemadmodum infra dicit, quæ autem sequuntur sunt horum explicatio.

Non puto igitur necessarium pluribus indicare de quo cibo hic dicit Christus, postq̄ ex ore eius audisti, Operemini cibum qui non perit &c. Hoc autem est opus dei, ut credatis in eum quem ille misit. Habes opus Dei & cibum uitæ æternæ, si credis in filium Dei incarnatum.

At hic operæ precium est uidere, quàm non intelligat animalis homo siue caro id est, homo absq; spiritu quæ sunt Dei, ut non frustra dicat infra Christus, Spiritus est qui uiuificat, caro non prodest quicquàm. Quoties nunc audies contra hæc Christi uerba Iudeos disputantes, litigantes, obmurmurantes, ita ut tandè scandalizati à Christo recedant, toties audies nihil aliud q̄ carnem, id est, homines absq; spiritu, qui non possint credere uerbis Christi. Quoties uero audies Christum loquentem, audies spiritum Dei, quemadmodum dicit, Verba quæ ego locutus sum uobis sunt spiritus & uita, quæ tibi sunt spiritus & uita si credis, quemadmodum addit, Sed sunt quidam ex uobis qui non credunt. Et Petrus ait, Domine, ad quem ibimus? uerba uitæ æternæ habes, & nos credimus & cognouimus, &

uimus, quod tu es Christus filius Dei uiui. Ex quibus uides, quem spiritum & uitam dicat, nempe credere & fidere in Christum, secundum hunc Christi sermonem, sunt enim uerba spiritus & uitæ æternæ, ut non dubites quam carnem dicat, quando ait, Caro non prodest quicquàm, nempe illam occidentem & perdentem siue damnantem, quam opponit spiritui uiuificantem, quæ non nouit credere uerbis Christi, sed potius inde scandalizari, uenenum & mortem accipit ex uerbo, unde credentes accipiunt spiritum sanctum & uitam æternam, tantum abest ut profit quicquàm.

Anathema iudicamus, qui hic aiunt Christum dicere, carnem suam nõ prodesse quicquàm, quam tamen supra dixit dare uitam mundo, & non posse mundo esse uitam sine ea, Nam hic non dicit, Caro mea non prodest quicquàm, neq; de carne sua & sanguine dicit ut ante, sed de spiritu & carne, & spiritum uiuificantem opponit carni, quæ non prodest quicquam, id est, sine dubio damnata & damnante. Caro non potest intelligere uerba spiritus, sed offenditur, obmurmurat, blasphemat, breuiter, non credit. Spiritus autem in discipulis credentibus dicit, Verba uitæ æternæ habes, & nos credimus &c.

Illos autem non iudicamus anathema, sed pie dixisse, utcumq; forte non in loco, qui ex ueteribus & ex neotericis, hoc ipsum de Sacramento Eucharistiæ interpretati

interpretati sunt dicentes, Caro Christi in Sacramento solum carnaliter comesta, non prodest quicquam, immo secundum Paulum ad iudicium comeditur, prodest autem multum, id est, ad uitam eternam accipitur, si spiritus adsit uiuificans, id est, si non solum ore accipias Sacramentum, quemadmodum & indigni accipiunt, sed etiam fide, id est, fiducia in carnem & sanguinem filij Dei, id quod uocant recte spiritualiter edere, non tamen per hoc negantes corporalem corporis Christi comestionem in Sacramento, Que pia sunt utcumque non in loco dicantur, quis damnaret? at si talibus postea aliqui abutantur ad negandam aliquam Dei ueritatem, quis probaret?

Vbi nunc sunt qui ex contextu probare promittunt, quod hoc quod dicit Christus, Caro non prodest quicquam, intelligatur simpliciter carnem ipsam Christi non prodesse quicquam, non esse uitam mundi, que tamen est caro non ut aliorum, sed filij Dei ut diximus? In se certe caro Christi, & uerba que de carne sua dicit, sunt spiritus & uita, tibi autem non profunt quicquam ut nec Satana, quia non credis illam carnem quemadmodum ex Christo audis tuam esse salutem. Pie itaque & hoc, extra etiam rationem externi Sacramenti diceres de Christi carne, scilicet non prodesse quicquam tibi absque spiritu, id est, sine fide, hoc est, nisi credas, quemadmodum neque ipsa tota trinitas tibi prodest

prodest absque spiritu, hoc est nisi credas, quemadmodum Augustinus simile adducit dicens ex Paulo, Scientia inflat. Iam ergo debemus odisse scientiam? Absit, Adde charitatem que edificat, & scientia proderit non inflabit. Sic caro Christi utilis est tibi, si spiritus ad fuerit, id est, si credas. Talia & similia possent pie dici non contra fidei nostre rationem, utcumque non in loco.

Simpliciter autem dicere quod caro Christi inutilis est, & ideo exponendum, Caro mea uere est cibus, & sanguis meus uere est potus, id est, mea diuinitas est uere cibus & potus pascens ad uitam eternam, non mea humanitas uel mea caro & sanguis, est plane illius spiritus qui soluit Iesum, & qui nihil habeat commercij cum his Christi uerbis, que sunt spiritus & uita credenti, Siquidem Antichristi spiritus est qui non fatetur Iesum Christum in carne uenisse, dicere enim carnem Christi non prodesse quicquam, & dicere esse nihil aut eam non esse, idem sunt.

Habes ergo quod alioqui pie dicere posses, si certa huius loci sententia, quam diximus, non placeret, quam tamen hoc loco subuertere tibi non licebit.

His igitur indicauimus meam de 6. cap. Ioan. sententiam, que illic fit illa comestio cibi siue panis celestis, hoc est, filij Dei incarnati siue manducatio corporis & sanguinis eius, nempe fides in filium dei incarnatum, qua fit ut cum eo uniamur & in eum crescamus.

Quod si aliquis crassior est ut optet hanc sententiam in singulis indicari uerbis, quæ in medio consulto omisimus, non grauatim huic etiam ita seruiuo.

Caro ista siue hypocrisis humana interrogans, Quid facimus ut operemur opera Dei, uidetur uelle sequi si audierit Dei uoluntatem, somniat enim interrim sibi ut semper, quod Christus siue Euangelium prescripturum est non aliam iusticiam quam operum externorum, Audiens uero exigi fidem in Christum, cum respondetur, Hoc est opus Dei ut credatis in eum quem ille misit, non suscipit ueritatem, non incipit credere his uerbis, sed contendere & contra disputare.

Quod ergo, inquit, tu facis signum? Moses paut patres nostros in deserto Manna cœlesti, quasi dicant animalia uentris (quæ querunt Christum non quia uiderunt miracula unde crederent, sed quia ederunt ex panibus eius & piscibus) Moses magno miraculo paut patres, si tu uel similiter uel melius nos pasceres quotidie ociosos absq; labore nostro, cur non te pafferremus? Alioqui non uidemus quid in te magnopere sit pæ alijs suspiciendum.

Quibus cum iuramento incipit confirmare, ut fideles indubitato credant huic sermone, etiamsi omnes alij scandalizentur, & recedant ab Euangelio, & dicit, Amen Amen dico uobis, Non Moses dedit uobis panem de

panem de cœlo, ut mihi illum pafferatis, seruus enim Dei fuit, per quem Deus patribus uestris ostendit mirabilia, pater autem meus qui dedit tunc illud Manna, corruptibilem cibum ad uentris saturitatem, nunc dat uobis panem de cœlo uerum, id est, uerbum suum incarnatum, si creditis, editis & pascimini, Panis enim Dei est quem ipse Deus dat non Moses, qui panis de cœlo descendit & dat uitam mundo, id est, perditis & damnatis hominibus.

Quibus uerbis gratiam Dei commendat & meritum humanum excludit. Pater, inquit, dat, non sanctis sed mundo, at ita, ut qui acceperint, non amplius maneant mundus, id est, regnum Satanae & impij, quem admodum de suis discipulis dicit, Et hi in mundo sunt sed de mundo nō sunt. Præterea auocat eos à Mose ad se, id est, à iusticia legis ad iusticiam Dei, quæ est ipse, per quem solum iustificamur credentes.

Ad hæc obseruabis, quod qui supra dixit, Quem cibum filius hominis dabit uobis, nunc dicit, Pater meus dat uobis panem de cœlo uerum. Sic alibi de paraceto, quem, inquit, ego mittam uobis, & quem pater mittet in nomine meo, ut uideas patrem & filium eandem habere potestatem diuinam, utrunq; dare spiritum sanctum, quo credatur in Christum ad salutem æternam.

Et ne contempnas Christi carnem quasi non profit
O s quicquã,

quicquam, non dicit, Filius Dei dabit uobis hunc cibum, sed filius hominis, ut uideas hunc filium hominis uere esse Deum, quia dat hunc cibum uitæ æternæ ut pater è cælo. Non credis, inquit, quod ego in patre & pater in me est &c.

Ego quidem non ignoro in Christo esse duas naturas, alteram diuinam alteram humanam, & hanc non esse illam, sed has duas naturas secundum Euangelium fateor ita in unitate personæ in Christo coniunctas, ut separari non possint, ut Deus sit homo & homo Deus, uerbum caro & caro uerbum. Ideoque non solum uerbis dici de tota personâ, quæ aliõqui separatim alteri naturæ non conuenirent, sed uere & re ipsa. Sic Christus qui non est homo solum aut deus solum, sed Deus & homo simul, nascitur, prædicat, facit miracula, moritur, resurgit, potestatem habet in cælo & in terra.

Ita enim loquuntur scripturæ, quod proprio filio suo non pepercit deus, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Hic proprius filius Dei, si non esset homo non moreretur, at si tantum homo esset, non prodesset mihi mors eius. Morte ergo filij Dei sum redemptus atque adeo morte Dei, quemadmodum Paulus dicit Actorum. 20. Deus acquisiuit Ecclesiam sanguine suo, quia qui homo pro me moritur est filius Dei & Deus ipse.

Sic hic

Sic hic filius hominis non dicitur solum dare, sed uere dat cibum uitæ æternæ, Sic ipse est is cibus, & caro eius uere est cibus, & sanguis eius uere est potus, quia ipse Deus est, & caro eius caro filij Dei, & sanguis eius sanguis filij Dei, Deus est in ista carne & in isto sanguine mundum reconcilians sibi, & ideo natura sua uiuifica est ista caro, & uiuificus iste sanguis, ut cunque non profit incredulis, qui ubi audiunt uerbum Dei de ista carne & sanguine offenduntur & abeunt.

Igitur quando panem è cælo multo meliorem quàm Manna dandum audiunt, respondent, Domine, semper da nobis panem istum. Cibum uentris intelligunt, Animus iam dudum est eis in patinis, non potest caro aliud sibi somniare quàm iusticias carnis & commoda huius uitæ.

Hic audi quàm manifeste cibus & potus dicat fidem in se incarnatum, Ego, inquit, sum panis uitæ, Qui uenit ad me scilicet fide, non esuriet, & qui credit in me non sitiet unquam, id est, nihil aliud præter me requiret ad iusticiam & uitam æternam, sordebunt ei omnes iusticiæ humanæ & quicquid apud homines sine uerbo dei diuinum appellatur, in me solo, quæ fide possidebit, satis habebit, Sed dixi uobis quod etiã uidistis me nec creditis, iccirco nõ est hic cibus cælestis uestra esca ad uitam, sed magis ad mortem, quia præsentem & uerbo prædicationis uobis oblatum cõtinentis, quæ excusationem habetis

nem habetis, uidistis miracula & edistis ex panibus meis & piscibus, & tamen non creditis, si crederetis in eum quem pater misit, sentiretis aliam refectionem, nempe uos liberatos a peccatis, esse filios Dei & habere uitam eternam, ut liceret uobis cum fiducia summa inuocare patrem.

Ne quis uero, ut fidem hanc habeat siue sic edat panem uitæ & bibat potum salutis, aliquid tribuat suo conatui & libero arbitrio, quemadmodum & supra diximus, addit, Omne quod dat mihi pater ad me ueniet, & eum qui uenit ad me non eicio foras. Primum commendat gratiam contra meritum & iactantiam humanam. Omne, inquit, quod dat mihi pater ad me ueniet, id est, non potest fieri ut non mihi accedant quos pater prædestinauit meos futuros, quemadmodum Paulus dicit Ephe. 1. Deum nos elegisse in Christo antequam iacerentur mundi fundamenta, Quæ merita erant nostra quando non eramus, immo quando mundus adhuc non erat?

Deinde maxime consolatur eos, qui iam uenerunt ad Christum, id est, iam credunt secundum Euangelium in Christum, ut supra quid sit uenire ad eum expressum est. Consolatur autem dicens, Eum qui uenit ad me non eicio foras. Quod quid aliud significat, quam non posse damnari qui credunt, id est, serio in Christo querunt salutem? Dato esse Christo à patre siue prædestinatos

prædestinatos esse, certissimum eis signum est, quia suscipiunt serio Euangelium credentes in Christum, Non potest certius signum dari spiritui nostro, quam ut ita obsignemur à Deo spiritu sancto, ut credamus in Christum, Sic enim spiritus Dei testificatur spiritui nostro, quod sumus filij Dei.

Qui uero ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt, scandalizati in Euangelio siue Christo, non serio crediderunt, sed uel opinione quadam tenebantur, uel sub nomine Christi sua querebant, quemadmodum isti Capernaitæ, de qualibus etiam Ioannes dicit Capite. 2. Multi crediderunt in nomen eius, uidentes signa eius quæ edebat, Ipse autem Iesus non credebat semetipsum eis, eo quod ipse nosset omnes &c. Electi ad tempus errare possunt, item etiam à Deo deserti negare ut Petrus, sed parati sunt semper uerbo Dei crudiri qui errant, & statim recedunt qui negant, scientes nullam esse salutem præter fidem in Christum, quemadmodum ad Petrum dixit, Ego pro te rogaui Petre ut non deficiat fides tua &c. Impij autem offensi sic recedunt à uerbo quod uidebantur accepisse, quemadmodum isti Capernaitæ, ut nunquam cupiant reuerti, non habent conscientiam de negata ueritate, ut respiciant aut ueniam optent, sed dolent potius & indignantur sibi, quod illi opinioni & sectæ (sic enim sentiunt) adhæserunt, isti

isti maxime postea obsistunt ueritatis predicationi, mundus hodie plenus est his exemplis. De his dicit Ioannes, Ex nobis exierunt Antichristi illi, sed ex nobis non fuerunt, si enim ex nobis fuissent, permansissent utiq; nobiscum &c.

Itaq; qui secundum Euangelium serio suam querit in Christo salutem, gratias agat patri misericordiarum, nam certissimum habet suae electionis signum, confirmatus hoc uerbo, Eum qui uenit ad me non eicio foras. Non frustra dedit nobis suum uerbum, & per illud Christum suum, quomodo non cum illo nobis omnia donauit?

Ad hanc certam credentium in Christum consolationem pertinent quae sequuntur. Quia, inquit, descendi &c. Trepidant enim imbecilliores conscientiae, Ego sum peccator, Christus autem iudex uiuorum & mortuorum, neq; uero solum ut iudex, sed etiam ut iustus non potest sustinere quod iniustum est, quomodo ego per eum sperabo salutem? Hic consolatur dicens, Tametsi iure uoluntas mea esset ad perdendum iniustos & peccatores, quam uoluntatem & pater habet si iure uellet agere & non misericordia, tamen pater meus iam ista mei missione & mea e caelo descensione, id est, incarnatione & ministerio in terris, aliud interim uult usq; ad extremum iudicij diem, & quia ipse uult, debeo uelle & uolo etiam ego. Hae est autem uoluntas

tem uoluntas eius qui misit me patris, ne quid perdam ex omnibus quae dedit mihi, sed resuscitem ea in nouissimo die, ut appareat quod ne morte quidem corporis perdidit uitam, sed interim dormierunt in Christo. Haec est autem uoluntas eius qui misit me, ut omnis qui uidet filium & credit in eum, habeat uitam aeternam, & ne putetur uitam perdidisse in corpore, ego resuscitabo eum in nouissimo die. Sic & Ioannes tertio. Sic, inquit, Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat uitam aeternam. Non enim misit Deus filium in mundum ut condemnet mundum, sed ut saluetur mundus per eum &c.

Hic non se continet caro siue ratio humana, quin indignetur filio Ioseph, quod tam magnifica de se promiserit. Quibus ait, licet in gratis, Nolite murmurare inter uos, ut augeatis peccata. Caro non potest quae dico intelligere, spiritu opus est ut credatis, quem Deus dat, uestra sapientia aut liberum arbitrium hic nihil est. Impossibile est ut aliquis ueniat ad me, id est, credat in me, nisi pater, qui misit me, id est, uoluit me incarnari, traxerit eum suo spiritu, reuelando ei Euangelium ut credat, & ego eum suscitabo in nouissimo die.

Trahit autem pater docendo foris ministerio predicationis

cationis externa, intus unctioe siue spiritu, aliòquò
quando aperet caro uerba spiritus & uitæ. Quæ admo-
dum scriptum est Esa. 54. Erunt omnes in regno nouo,
id est, in regno Christi docti à Deo. Ut uero hic pa-
trem trahere dicit, ita & se crucifixum tracturum
dicit alibi, Ego, inquit, si exaltatus fuero à terra
omnia traham ad meipsum. Omnia, id est, non solum
Iudæos sed etiam gentes, quibus per ministerium spiri-
tus, id est, prædicationem Euangelij dabo ut in me cre-
dant, tunc non poterunt non adherere mihi, Hoc inte-
rim est trahi à patre siue à Christo, nempe sic spiritus
doceri.

Omnis ergo qui audiuit à patre, id est, audiuit uer-
bum Dei, etiam externa prædicatione &c. Hoc inte-
rim exprimo, nam sunt qui ex his & similibus locis
contemnunt uerbum Dei externe prædicatū aut scrip-
tum præ sua spirituositate, quasi hic non edat etiam
ipse Christus longum sermonem externis uerbis, quæ
etiam audiunt impij Capernaïtæ, sed ipse dicit ea esse
spiritum & uitam credentibus, id est, ut hic dicitur
discipulis Dei, quemadmodum & Petrus pronunciat,
Domine, ad quem ibimus, uerba uitæ æternæ habes, &
nos credimus &c. Verbum quidem externe prædica-
tionis non tantum non prodest contemptoribus, sed eti-
am eos facit deteriores, sed tamen prodest suscipien-
tibus, ministerium enim spiritus est prædicatio exter-
na Euangelij, ut ait Paulus, siue ministerium recon-
ciliationis,

ciliationis, quo fit ut reconciliemur Deo, si credimus
prædicationi, quæ per prædicationem Apostolicam
reuelat nobis ea de Christo, quæ oculus non uidit nec
auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt, sapien-
tiam scilicet à sæculis absconditam.

Ideoq; non solum dixit, Omnis qui audiuit à patre,
sed etiam addidit, Et didicit, Multi enim audiunt à
patre, nam patris uerbum est Euangelium, etiam cum
externe prædicatur, qui tamen non discunt ut isti Ca-
pernaïtæ, id est, non sunt discipuli magistri Dei. Con-
temnunt enim hunc magistrum, quando non docet,
quemadmodum ipsi præscribunt.

Atq; hic ne quis dicat, Si à patre discitur, ergo pa-
ter uidetur, id quod est contra scripturam, occupat
dicens, Non quod patrem uiderit quisquam, nisi is qui
à Deo est, hic uidit patrem, Quibus uerbis negat om-
nibus hominibus, qui non discunt à Deo, cognitionem
Dei patris. De Deo quidem multa loquuntur, sed
non nouerunt eum, Nouerunt autem illi qui non dubi-
tant cum ipsis esse patrem, & se esse eius filios, sed
quo medio nouerunt? quis cognouit mentem Domini?
Is, inquit, qui à Deo est, id est, filius uidit patrem, is
potest uobis patrem reuelare, aliòqui omnis sapien-
tia humana stulticia est, omnis iusticia peccatum. Sic
& Ioann. 1. Ioannes Baptista dicit, Deum nemo uidit
inquam, unigenitus filius, qui est in sinu patris, ipse
P nobis

arnem filij hominis, & sanguinem eius biberitis, non habetis uitam in uobis. Qui edit meam carnem & bibit meum sanguinem, habet uitam eternam, & ego suscitabo eum in nouissimo die. Caro enim mea uere est cibus, & sanguis meus uere est potus. Qui edit meam carnem & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in eo, Sicut misit me uiuens pater, qui est fons uitæ, & ego uiuo propter patrem, id est, quia pater uiuens est in me, ita & qui ederit me, uiuet ipse quoq; propter me, id est, quia ego sum in eo.

Vides hic eandem uitam eternam & resurrectionem, de qua supra dixit, describi, ut non dubites eandem fidem in incarnatum Christum, hac carnis Christi manducatione & hac sanguinis Christi bibitione significari, id quod supra diximus. Quam enim aliam sententiam potest habere hæc comminatio, Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis uitam in uobis, quam illam, Qui non credit in Christum condemnatus est?

Verum ut hæc uideas eandem sententiam habere cum precedentibus, ipse post mentionem comestionis carnis suæ & bibitionis sanguinis sui exponit, dicens, Hic est panis ille qui de cælo descendit, non sicut comederunt patres uestri Manna & mortui sunt, qui ederit hunc panem uiuet in eternum

Post hæc murmurantibus dixit, Hoc quod dixi

uos scandalizat? Quid igitur si uideritis filium hominis ascendentem cælo ubi prius erat? quasi dicat, Si ista offendunt uos, quæ prædico super terram, quæ tamen deberetis credere uel propter opera quæ facio, magis offendemini ubi uideritis filium hominis ascendentem eò ubi erat prius, id est, quando iste filius hominis iam despectus, prædicatus uobis fuerit post glorificationem sui, regnare in gloria patris, accepta potestate in cælo & in terra, quem admodum & ante potestatem & gloriam apud patrem habuit, antequam descenderet, id est, incarnaretur. Magno certe scandalo prædicabitur uobis regnare ut Deus super omnia, quem uidistis crucifigi & mori, si iam non potestis credere miracula facienti.

Vsq; adeo uero ne Christus quidem nunc dicendo potest separare diuersas in se unitas naturas diuinitatis & humanitatis, ut etiam istum filium hominis, nempe seipsum transcuntem super terram, dicat fuisse in gloria patris in cælis, etiam ante incarnationem, Nam plane iste filius hominis est ille filius Dei, quo condita sunt uniuersa uisibilia & inuisibilia, quandoquidem uerbum caro factum est, id quod nemo negat nisi spiritus Antichristi, Negare & confictis glosis obscurare idem esse ducimus. Sic & Ioannis tertio dicit, Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, filius hominis qui est in cælo.

Reliqua quæ huc pertinent supra diximus. Sic nos
solemus interpretari sextum Caput Ioannis de fide in
filium dei incarnatum, quæ nos Christo incorporamur
& Christus nobis ad uitam æternam. Atq; hanc inter=
pretationem non ex hominum commentarijs, aut ex
nostra cogitatione accipimus, sed ex manifestis uer=
bis Christi, seipsum ut audisti interpretantis.

Quo fit ut non hæc interpretemur de Sacramen=
to illo externo corporis & sanguinis Christi, quia
non solum non uidetur Christus hic de eo dicere, sed
etiam quedam uerba cum institutione cænæ dominicæ
non conueniunt ut uidetur. Hic enim semper & sine
intermissione edendum & bibendum est, nisi non sem=
per credendum est in Christum, illic non semper, sed
quotiescunq; inquit, manducaueritis panem hunc &
calicem Domini biberitis &c. quemadmodum &
Christus dicit, Hoc facite quotiescunq; biberitis &c.

Item, Hic nemo manducat & bibit indigne, sed om=
nis manducant & bibunt uitam æternam, quia fides
est ista manducatio & bibitio, illic multi edunt & bi=
bunt indigne, iudicium sibi edentes & bibentes,
quod non dijudicant corpus Domini, quia licet fides
ibi esse sciat quæ Christus ibi esse dicit, nempe panem
corpus suum, & poculum sanguinem suum, tamen
externum Sacramentum est, quo interim indigni, qui
sunt in

sunt in consortio nostro abuti possunt, non dijudican=
tes corpus Domini, licet esse ex uerbis Christi au=
diant, neque probantes seipfos, quemadmodum &
Christus ait, Veruntamen manus tradentis me mecum
est in mensa.

Præterea hic fides docetur in Christi carnem &
sanguinem, illic exercitium fidei est, nempe comme=
moratio, id est, annunciatio mortis Domini, quod
hoc corpus quod in Sacramento edimus, pro nobis
oblatus est, & sanguis, quem bibimus, effusus est in
cruce in remissionem peccatorum, ut ista commemo=
ratione & perpetua inter nos predicatione & publi=
ce & priuatim perdurante, non liceat suscipere ali=
am doctrinam, quæ aliud docet ad iusticiam necessa=
rium quàm Christum pro nobis datum, ut factum est
sub papatu, quando ablatus est uerus huius Sacramen=
ti usus, & pro eo restituta tot abominationes missa=
riorum contra Christi institutionem.

Breuitè, Hic nihil dicitur de pane & uino, immo
Christus negat se de aliquo pane aut poculo externo di=
cere, alioqui modestius tulissent uerba hæc Caperna=
ta, si uidissent cænâ parari pane & uino instructâ, hoc
enim ut uides toto desyderio querebant. In cænâ autē
quis negat panem & uinum à Christo instituta? ubi
frangitur panis, iubetur edi & editur, porrigitur
P / 4 alix,

alix iubetur bibi & bibitur, de illo pronunciatu-
r, Hoc est corpus meum, de hoc, Hic est sanguis meus,
Hoc facite quoties feceritis in mei commemoratio-
nem. Non hic talia audis, unde ergo hic eadem de-
scribi probares? Panem quidem audis, sed qui de cae-
lo descenderit, non qui frangatur in manibus & cor-
poraliter edatur, Hunc autem panem spiritualem, ne
alium cum Capernaitis cogites, esse carnem Christi.
Panis, inquit, quem ego dabo caro mea est, Habes ita-
q; quare nos sextum caput Ioannis non interpretemur
de illa nouissima cena, quam Christus instituit.

Verum quidam Sacramentarij contra suam consci-
entiam hac occasione contra nos fucum querunt, sen-
tiunt enim sic, Totus mundus intelligit sexto capite
Ioannis dici de Sacramento cenae, dicemus & nos ibi
uere doceri nouissimam illam Christi institutionem,
& persuadebimus hominibus, quod VVitembergen-
ses fugiunt lucem, qui propterea negant sexto Capite
Ioannis dici de Sacramentaria manducatione, quia sen-
tiunt ibi quaedam manifeste dici, quibus probari po-
test panem cenae non esse corpus Domini, & pocu-
lum non esse sanguinem, sed unde probabunt nisi ex
sua conuersione simplici primum, & deinde ex sua
conuersione per accidens? quasi uero de prauare scrip-
turas idem sit quod interpretari.

Quando itaq; talis fucus aduersum nos queritur,
non ut

non ut pie aliquid dicatur, sed ut negetur uerbum
Christi, Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus,
Dicam nunc breuiter quam nihil nos offendat, quam
nihil sit contra nos, atque adeo quam sit pro nobis, si
quando nos interpretamur sextum Caput Ioannis, non
de Sacramento externo (candide enim debemus do-
cere quod scimus) alius sit qui interpretetur de ex-
terno Sacramento, Certo certius enim nobis est, quod
hac interpretatione non poterit negari panem Domi-
ni in cena esse corpus Christi, & poculum sangui-
nem, sicut neq; ueteres doctores aliquid ueriti sum,
quasi negaretur panis Domini esse corpus Christi &
poculum sanguis, quando quaedam in sexto Capite Io-
annis interpretati sunt de Eucharistia, immo saepe ex
hoc esse statuerunt.

Primum docemus Christi corpus & sanguinem
in pane & poculo, illa fide, quoties ad hoc in Eccle-
sia siue congregatione conuenimus, accipienda, qua
fide semper uult edi & bibi Christus suam carnem &
sanguinem extra Eucharistiae Sacramentum, id est, nos
sibi incorporari, quae fides docetur Ioan. 6. atque adeo
ubicunq; in scripturis de iusticia, quae Christus est,
dicitur. Ut uideas neq; nos excludere sextum Caput
Ioannis a cena dominica, licet dicamus nihil illic no-
bis uideri dici de Sacramentaria manducatione.

Hinc de duplici corporis Christi manducatione
P 5 dixerunt,

dixerunt, altera Sacramentali qua edunt digni & indigni, sed hi ad iudicium, altera spiritali qua edunt soli digni, nam hæc est fiducia in Christum, quam indigni non habent, nam si adest dignos facit & auferit simul omnia peccata. Sine fide hæc, id est, fiducia in Christum, impossibile est placere Deo, & obsunt externa Christi Sacramenta, non prodest tibi Euangelij prædicatio, Christus ipse & tota trinitas, atque adeo non cibus, non potus neq; ulla creatura tibi sancta est, & tamen interim ista omnia sancta sunt & bona credentibus, neq; propter abusum nostræ maliciæ diuina & quæ à Deo creata uel ordinata sunt, non sunt id quod sunt.

Atq; ut hac fide quæ docetur Ioannis sexto, edas in cæna domini corpus & bibas sanguinẽ eius, ipse Christus manifestis uerbis requirit sua institutione, Non enim solum dicit, Hoc est corpus meũ, Hic est sanguis meus, quæ uera esse ne illi quidem dubitant qui indigne accedunt, ideo & illis hic sunt quæ propter uerbum Christi hic esse credunt, De Sacramentarijs enim negatoribus nunc non dico, Sed etiam addit, Quod pro uobis datur uel frangitur, qui pro uobis effunditur in remissionem peccatorum. Hæc satis declarant qua fiducia uelit Christus accipi suum corpus & sanguinem in Sacramento, nam extra Sacramentum sine hac fiducia accipi non potest. In Sacramento autem acci-

tem accipi quidem potest, sed ad iudicium, ut fias reus corporis & sanguinis Domini, non enim accipis qua fide Christus accipi uoluit.

Deinde non improbamus ut antea dixi, quod quidam hæc de Sacramento externo accipiunt dicta, modo interim pie dicant, & non studeant per hanc suam interpretationem negare ueritatem, quæ alibi dicitur, ut nun esciri uideo per illos qui dicunt, Christus editur fide, ergo non editur eius corpus in pane, nec bibitur eius sanguis in poculo, quasi etiam in pane non possit edi fide secundum eius uerbum, aut quasi magnam fidem habeant uerbi siue institutionis Christi negatores.

Doctores ueteres quando in sextum Caput Ioannis dixerunt id quod debuerunt de spiritali Christi manducatione, quemadmodum illic Augustinus ait, Quid paras uentrem & dentem? crede & manducasti, iterum etiam dixerunt de Sacramentali manducatione, quam Christus in nouissima cæna instituit, non solum per occasionem ut fit, sed etiam arbitrati quædam uerba illic Christi de cæna nouissima dicere, Siquidem ut prophetiam & promissionem dmini, quasi in Capernaum promitteret se quãdoq; instituturũ Sacramentum illud externũ, accipiebant hoc quod dicit, Panis quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi ui-

mundi uita, Hoc nos, ut audisti, interpretamur, urgente cōte xtu, de spiritali manducatione, qua fide editur panis uite, qui de cœlo descendit Christus, Panem enim cœlestem seipsū, id est, ut dicit, carnem suam dedit primum, offerens patri sacrificium in odorem suauitatis, in cruce pro peccatis totius mundi, deinde eandem carnem siue humanitatem, in qua Deus est, nobis dat per prædicationem Euangelij sui, cui credentes Christo incorporamur. Illi uero aut quidam ex ipsis interpretati sunt, quasi Christus promitteret se quandoq; daturum Eucharistiæ Sacramentum. Hinc pergebant & reliqua de comestione carnis & bibitione sanguinis non dissimiliter interpretari, nempe de comestione panis uisibilis fracti, & poculi externi à Christo in cœna instituti, Non tamen docebant aut scribebant istas hereticas uoces, Panis non est corpus Christi, id quod est nunc Sacramentarium, aut, Calix siue sanguis Christi non est dandus laicis, id quod est papistarum, non sanctorum doctorum.

Certe illos ueteres pie hac de re, licet quædam ut uidetur non in loco, dixisse non negabit qui pius est, nempe illa, de quibus nunc solum ago, quæ dicunt de spiritali & Sacramentaria comestione, Sed hoc uidetur obstare eorum interpretationi, ne de eadem comestione & bibitione agatur in cœna & in sermone Ioannis sexto descripto, quod illic edunt & bibunt quidam

quidam iudicium, rei facti corporis & sanguinis Domini, Hic autem quisquis edit & bibit, non iudicium, sed uitam æternam edit & bibit, & ijs solum iudicium est & damnatio, qui contemnent abeunt, & edere atq; bibere nolunt.

Verum, tantum abest ut hac parte obsistam pie dicentibus, ut cupiam etiam eis consultum commoda aliqua interpretatione, Hanc autem ego talem adduco pro ipsis, Omnes qui edunt corpus Christi & bibunt sanguinem eius in Sacramento, quemadmodum Christus instituit, edunt & bibunt uitam æternam, & nullus ex eis iudicium siue damnationem. Edunt, inquam, & bibunt quemadmodum Christus instituit, non aliter. Is autem instituit ut fide edamus non infideliter uel peruerse docentes aut sentientes, uel turpiter uiuentes, ut supra dixi. Et instituit pro nobis, non contra nos, Pro uobis, inquit, frangitur. Eadem itaq; uita æterna est, quæ edenda instituitur in cœna, & docetur sexto Capite Ioannis, ut non opus sit hac parte in ueterum interpretatione offendi, Nam contra nostros Sacramentarios, dicimus hic assumi Testamentum nouum, id est, remissionem peccatorum & uitam æternam, ab illis qui digne edunt corpus & bibunt sanguinem Domini, alioqui non esset uerum quod Paulus dicit, iudicium edere & bibere qui indigne manducant & bibunt.

Quod

Quod autem corpus Domini edunt, & sanguinem bibunt in Sacramento quidam indigne ad iudicium, rei facti corporis & sanguinis Domini, inde est, quia illud quidem quod Christus instituit edunt & bibunt, nempe corpus & sanguinem Domini, non enim in nostra congregatione quando conuenimus ad cenam dominicam mendax est institutio Christi propter horum maliciam, neque dicit, Si bonus accedit, panis est corpus meum, & poculum sanguis, non autem est si malus accedit, sed non edunt & bibunt corpus & sanguinem Domini, quemadmodum edere & bibere instituit Christus, quemadmodum dixi, ut taceam nunc de commemoratione siue annunciatione mortis Christi, quam ipse uult non certe hypocriticam.

At ais, Quando ad iudicium isti edunt corpus Christi, quomodo in his uerum est quod Christus dicit, Quod pro uobis frangitur? non enim pro ipsis, sed contra ipsos uidetur frangi. Respondeo, Sicuti uerum est etiam si quis indigne edat, Hoc est corpus meum, ita etiam uerum est, Quod pro uobis frangitur, nam uerbum Christi est, etiam si quis contra se accipiat, non pro se contra Christi institutionem, non diiudicans corpus Domini aut probans seipsum, Non decet Christum aliquid instituere aut dare nobis contra nos, quod ad ipsum attinet, si uero quod bonum est nos male accipiamus, id est, aliter quam ipse accipit instituit,

instituit, nostra non dantis aut rei data culpa est, maiori uero damnatione obnoxij sunt qui uel negant suam doctrinam hanc institutionem, ut Sacramentarij, uel doctent ab usum, ut non fiat quod Christus instituit, ut nunc post reuelatam ueritatem misatores & alterius speciei, ut uocant, prohibitores.

Huius rei quam possem proponere multas similitudines, nisi per se res esset nota, & a ueteribus sepe tractata, nempe quod propterea corpus Christi non est malum aut non est in pane, quia malus male accipit, tamen unum simile dicam propter illos, qui contendunt de presenti fractione non posse intelligi uerbum Christi, Quod pro uobis frangitur, dicentes, Si de presenti fractione intelligi oporteret, non dixisset Christus, pro uobis frangitur, sed dixisset, Vobis frangitur. Mirum, sed non miror cecitatem, Ego interim gratias ago Christo, quod corpus suum frangit siue distribuit non solum nobis sed etiam pro nobis, ut non dubitemus ad uitam aeternam nos accipere, hoc est pro nobis non contra nos, hoc Sacramentum, si quemadmodum ipse dat nos accipiamus, Si aliter, ipse quidem dedit siue fregit pro nobis, sed nos non accepimus pro nobis, nempe ita affecti contra rationem nostrae salutis, ut oportuerit potius abstinere.

Audi itaque simile, Aliquis bonus uir & ualde amicus inuitat

inuitat Pomeranum ad cenam cum multis alijs amicis
& iucundis conuiuijs. Sedemus ad mensam, Hospes qui
nos inuitauit ut cibos ita & bonum uinum apponit
pro omnibus conuiuijs, in quibus est & Pomeranus, ut
inde bibant, gaudeant, & uinum eis profit, pro eis
appositum est ut ipsi bibant, non alij qui non sunt inui-
tati, & ut eis profit, quia non uenerum est sed bonum
uinum, bonus est hospes, bonum est uinum, bona est
causa quare detur. Bibunt & hilares fiunt conuiuiæ.
At Pomeranus in eo tam bono licet conuiuijs, a uino
abstinere debet, non quia malum est aut male datum,
sed quia ego non possum bene accipere, id est, pro me,
quod pro me datum est, & quod alij pro se accipi-
unt. Non est culpa dantis hospitis aut rei date, sed sto-
machus meus est ita affectus, ut uinum ei non solum
non profit, sed etiam noceat.

Hic ut non sequitur, Vinum nocet mihi, ergo ui-
num non est in se bonum, aut uinum non est uinum. Sic
non sequitur, Malus accipit corpus Christi ad iudi-
cium, ergo corpus Christi est malum, aut non pro no-
bis datum, aut non est ibi corpus Christi. Quod salua-
tor pro te dedit, contra te accipis, cur enim non atten-
dis Christi institutionem, quemadmodum Paulus at-
tendi uoluit dicens, Ego enim accepi a Domino
&c?

Hac itaq; commoda interpretatione succurimus
illis qui

illis qui in sexto capite Ioannis multa de Eucharistia
Sacramento intellexerunt, quibus ne obsit, quod Sa-
cramentum quidam ad iudicium accipiunt, quando
Ioannis sexto docetur talis manducatio, quæ omnibus
edentibus confert uitam eternam, Dicimus etiam om-
neis qui Sacramentum edunt, edere uitam eternam, mo-
do edant quemadmodum Christus edendum instituit.

Addam uero & aliam interpretationem, non mi-
nus forte pro sententia ueterum commodam, & cum
precedente conuenientem, ut dicamus omneis edere
& bibere hoc Sacramentum ad salutem, qui fide
edunt & bibunt, quemadmodum omneis edunt & bi-
bunt uitam eternam, qui edunt & bibunt, ut docetur
Ioannis sexto, Nam tametsi manducant etiam indigni
corpus Christi, ut Paulus ait, tamen Christus solum
pro manducantibus & bibentibus habet qui mandu-
cando ei incorporantur. Sicut pro tangente solum ha-
buit illam mulierem, quæ profluuio sanguinis labora-
bat, non reliquum uulgus, Hoc etiam comprimebat
ita ut nemo dubitaret tangi sic eum, illa autem nemine
sciente ualde leuiter uel uestimentum tetigit, tamen
magno fidei præconio hanc tetigisse dicit, uulgus au-
tem tetigisse negat. Hæc lege Marci. 5. & Luca 8.

Sic illos habet Christus pro uere manducantibus,
qui non solum Sacramentaliter (ut hisce uulgatis uer-
bis utar) edunt corpus Christi, sed simul etiam spiri-
tualiter,

ualiter, id est, fiducia in mortem & sanguinem Christi, qua fide nos docemus edendum, & non docemus, quemadmodum inuidia mentitur de nobis, sola externa mäduratione auferri peccata, aliö qui quid est quod cum Paulo dicimus quosdam edere iudiciu & damnationes

Porro sicut illic dicere non potes nisi sis Manichæus, Christus negat illos se tetigisse qui fide non tangebant, ergo non tangebant, uel non tangebant uerum Christi corpus. Ita neq; hic inferre debes, Aliqui hic edunt absq; fiducia in Christum, ergo non edunt uerü corpus Christi, Nam necesse est apud illos manducantes hic esse uerum corpus Christi, qui credunt uerum esse Christi uerbü, Hoc est corpus meum, etiamsi non fidant Christo, quæ uere est fides Christiana quæ iustificat impium, ut supra diximus. Non fidunt Christo, qui uel amplectuntur sectas perditionis contra doctrinam iusticiæ & pietatis, uel turpiter ipsi uiuentes, non respiscunt, quemadmodum ista apud Corinthios fuisse tum uides.

Ex his quisq; uidere potest q̄ non reluctemur ueteribus, qui interpretati sunt. 6. Caput Ioann. de Eucharistia, neq; nunc reluctamur ijs qui ita uolunt interpretari, ne malicia, & spiritalitate, id est, quæ spiritum iactat contra nostram carnalitatē, fingat nos hic aliquam fugere lucem, & dicat, Wittembergenses non interpretantur. 6. caput Ioannis de Sacramento, quia uident ibi ea dici per quæ possit probari panem Cænæ non esse

esse corpus Christi. Mendacium est, non potest inde probari, etiamsi conuertas & subuertas omnia uerba & depraues totam sententiam, quemadmodum supra ostendi de illis, qui iactant omnia uerba institutionis Christi accipienda esse in primaria & propria significatione, & tamen ne sic quidem effici, ut in cænâ manducantibus sit panis corpus Christi, & bibentibus poculum sanguis. Quocunq; enim se uerterint, non tam cæci sumus (gratia Christo) ut non uideamus quæ uerba Christi sint & quæ ipsorum, quid Christus dicat & quid ipsi deprauent. Verba Christi & sententiam retinebimus, deprauationes uero & conuersiones illas mirabiles atq; spirituosas & additiones humanas, ad erroris magistrum Satanam remitemus, Is nunc ut semper facit negocium Euangelio Christi, sed non præualebit, tantum pereunt qui perire debent, reliquos commode & oportune misericordia Christi ex errore nobis reducet. Prope est ut Satan iudicetur, qui iam iudicatus est, Amen.

Itaq; nolo quidem hanc interpretationem, quæ sextum Caput interpretantur de Eucharistia, defendere, nam supra uides quid ego ex manifestis Christi uerbis & contextu sentiam, tamen placuit mihi potius facere nimium ut uidisti, adiuuando ueterum sententiam, q̄ huic tam impiæ cedere calumniæ, Nam si accipis de Eucharistia, pro nullis stabit sententia quam pro illis, qui ex uerbis Christi fatentur panem in

cena esse corpus Christi. Et erunt plane idem, Panis est corpus meum, & Panis quem ego dabo caro mea est, quam ego dabo pro mundi uita. Et si pergis quærere quid illa caro profit, audis, Caro mea uere est cibus, & sanguis meus uere est potus, Qui manducat &c.

Siue igitur suo ordine legerint uerba institutionis Christi, siue conuerterint & peruerterint omnia, non probabunt ex. 6. Capite Ioannis, aut ex ijs qui olim in sextum Caput Ioannis scripserunt, Non, inquam, probabunt panem in cena Christi non esse Christi corpus, aut poculum non esse Christi sanguinem, Neq; solum subuersores erunt uerborum institutionis Christi, quando propter hæc uerba, Caro mea uere est cibus, conuertunt illa, Panis est corpus meum, dicentes, Corpus meum est panis, cum illa spirituosa cauda, Est panis scilicet spiritualis, sed etiam postquam subuerterint & inueterint uerba cena, cogentur eadem ratione mirabili conuersione, quam forte uoces per conuersionem aut per impossibile, si talis unquam fuit, uerba hæc Ioannis sexto, Panis quem ego dabo caro mea est, quam ego dabo pro mundi uita, ut nusquam non sint conuersores & deprauatores, Certe uerba calicis, ut supra audisti, per impossibile conuertunt. Hæc debent accidere illis qui suas opiniones & cordis humani cogitationes uerbo Dei manifesto opponunt

At ait

At ait hic aliquis ex amicis, Quando noluisti repugnare interpretantibus sextum Caput Ioannis de Eucharistia, tametsi aliud sentias & doceas, sed uoluisti potius satis callide commoda interpretatione adesse, propter hoc solum ne dares ansam calumniae &c. quomodo stabit illa comminatio Christi, si accipiat aliquis de Eucharistia, Nisi manducaueritis carnem filij hominis & biberitis eius sanguinem, non habebitis uitam in uobis: uidebitur enim similis illi, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei, atq; ita nemo saluaretur nisi ederet corpus Christi in Sacramento, & biberet sanguinem eius.

Respondeo, Credo esse uerum de ijs qui contemnunt hoc Sacramentum & nunquam accipiunt, non de ijs qui accipere non possunt uel per atatem uel per infirmitatem, uel quia apud papistas eis hoc negatur, uel quia sunt in carcere, aut inter infideles, siue Turcas siue alios &c. Nam non hi sed illi contemnunt institutionem & uerbum Christi, qui dicit, Hoc facite &c. quoties biberitis &c. Hæc uerba sane non permittunt tibi contemnere hoc Sacramentum, ut nunquam accedas, quando tibi dari potest secundum Christi institutionem. Nam, Hoc facite, non significat, contemnite, &, Quoties manducabitis, non significat, nunquam manducabitis.

Q 3 Audi

Audi itaq; & hic commodam si pateris interpreta-
tionem, Fideles semper edunt carnem & bibunt san-
guinem Domini spiritualiter, donec crediderint in
Christum, quemadmodum ex sexto capite Ioannis
diximus, ex quorū numero qui non possunt in congre-
gatione fidelium accipere etiā in sacramento externo
corpus & sanguinem Christi, tamen idem Sacramen-
tum accipiunt uoto & desyderio, libenter enim uel-
lent accipere, ut non sit contra eos, etiam si de Sacra-
mento accipias, Nisi manducaueritis &c. Hoc enim
uotum & desyderium illorum qui non possunt acci-
pere, multo magis placet Christo, q̄ illorum manduca-
tio qui hoc desyderium non habent, nam hi iudicium
manducant manducantes, illi uitam eternam mandu-
cant non manducantes. Non uoua nunc dico, sed sic
dixerunt etiam ante nos, Cur enim non hoc dica-
mus de Eucharistia Sacramento, quando ascrimus il-
lum etiam renatum ex aqua & spiritu sancto, qui cre-
dens in Christum, summo desyderio etiam cupit aquā
baptismi & accipere non potest ante mortem? Quis
enim dubitat talem casum accidere posse, uel detento
in carcere apud infideles?

At ais, Paruuli nostri hoc desyderium edendi &
bibendi non habent, ergo non edunt neq; bibunt, & si
non edunt neq; bibunt corporaliter, quia eis non da-
mus, neq; spiritualiter, quia non desyderant, non ha-
bent uitam in semetipsis, sed damnati sunt. Respon-
deo, ut

deo, ut persone huic quam hoc loco suscepi satisfaci-
am, dictum Christi, Nisi manducaueritis &c. apud il-
los qui accipiunt de Eucharistia dictum, potest intelli-
gi de illis qui debent & possunt accipere Sacramen-
tum, inter quos, ut infra dicam, non sunt paruuli no-
stri. Qui autem debeant & possint accipere Sacra-
mentum, non ex. 6. capite Ioann. petendum est, ubi hoc
ne in speciem quidem dicitur, sed ex institutione mo-
uissimæ cenæ, quæ paruulos meo iudicio non admittit,
ut infra dicam.

Paruuli quidem nostri baptizari debent, ut acci-
pian hoc pactum Dei, quemadmodum infantes Iu-
deorum circumcisionem, quia nati sunt & renas-
ci ex aqua & spiritu sancto possunt, dicente Christo,
Sinite paruulos uenire ad me, talium enim, id est, par-
uulorum qui mihi offeruntur, est regnum cælorum.
Ceterum Eucharistia eis meo iudicio dari non debet,
Non tamen sunt sine carne & sanguine Christi aut si-
ne Christo ipso, quia ut dicitur Ro. 6. Quicumq; bap-
tizati sumus in Christum, in mortem eius baptizati
sumus. Et Gal. 3. Quicumq; baptizati estis Christum in
diuistis. Et Ephe. 5. Christus dilexit Ecclesiam (in qua
sine dubio sunt nostri paruuli, nisi dicas eos esse Sata-
næ) & semetipsum tradidit pro ea, ut eam sanctifica-
ret, mundans eam lauacro aquæ in uerbo &c. ut simus
membra corporis Christi ex carne eius & ex ossibus
eius,

Satis iam superq; adsumus interpretantibus sextum caput Ioannis de Eucharistia, quanquam nos illud ut supra uidisti de Eucharistia non interpretemur, ne fingerent aduersarij nos hic fugere lucem, quamuis non uideam quam hic lucem fugeremus. Caterum quando aliquid periculi timetur ex ista sententia, quam sexto Capite Ioannis non esse natiuam iudicamus, cedit omnis omnium doctorum ueterum autoritas, ut aliena interpretatio non sit alicuius erroris confirmatio, Dum pie aliquid dicitur, cur non placeat, utcumq; in loco non dicatur? Dum uero inde aliquis error confirmatur, cadat humana autoritas quantacumq; etiam, ut persistat Dei ueritas.

Periculum hic est, si propter alienam interpretationem de Eucharistia, quæ secundo hic potest sustineri, negetur quæ natia & genuina est, quam ipse contextus requirit & Christus manifestissimis uerbis expressit, Deinde periculum non ferendum, ut ego sentio, nobis est ne propter hanc interpretationem cogamur nostris infantibus dare corpus & sanguinem Christi. Nam ubi sic comminatur Christus, Nisi manducaueritis &c. nulla commoda interpretatio liberabit conscientias nostras in re tam seria, quin demus paruulis unde habeant uitam, Quemadmodum olim tempore Cypriani dabant infantibus Eucharistiam non semel post baptismum sed saepe in Ecclesia, Et Augustinus

Augustinus coactus ex hoc loco Ioannis, iudicat nec salutem nec uitam aeternam sine baptismo, & corpore & sanguine Domini cuiquam sperandam esse, & sine his frustra promitti paruulis, id quod legere potes in Augustino, de peccatorum meritis & remissione, libro primo Capite. 24. Quid facerent? Intelligebant hæc de Eucharistia, Inde illa necessitas dandi pueris Sacramentum secuta est.

Prestat ergo querere per Deum simplicissimam scripturæ in omnibus interpretationem, & genuinam sententiam, etiamsi sese interim offerat aliqua alia interpretatio utcumque ferenda, maxime in ijs locis ubi fides tractatur & ea quæ necessaria sunt ad salutem, Nam illic raro absq; periculo uersamur in aliena à uerbis ipsis sententia.

Et Bohemi hodie infantibus dicuntur dare Sacramentum, & quod in multis Germania Ecclesijs, pueris iam baptizatis datur coram altari ablutio, quam uocant, uestigium uidetur, quod & apud nos pueri olim à baptismo ad altare adducti, corpore & sanguine Christi communicati sint, Videtur enim post communicationis abolitionem, hac specie ablutiois uulgo, non admodum in hoc acquiescenti, satisfactum.

Quemadmodum quod minister missarius, pacem in missis illis offert astantibus, id est, obtrudit ori eorum

Q s siue osculam

siue osculandum eis prebet illud quod uocant Pacem, hoc est imagunculam aliquam uel crucem auream aut argenteam, uestigium est illius uetustatis, quam uides in Cypriano, sermone quinto de lapsis, quando Diaconus obtulit presentibus corpus Domini & sacrum Christi alicem, Quia ueritate nunc non solum amissa, sed etiam prohibita per papistas & damnata, hypocrisin imaginum & preciosorum lapidum auri quoque & argenti uulgo ostentamus, & ori eius obtrudimus, ne nihil accipiant ab altari, sed certe nihil sibi retinent, omnia ad altare referuntur. Huius uero quod dico certissimum argumentum est, quod adhuc antiqua apud nos seruatur appellatio, nam hoc Pacem dare uocamus, id quod tempore Cypriani significabat, non aurum & argentum osculandum prebere ut nunc, sed ad communionem corporis & sanguinis Christi admittere, id quod sepe uides in Cypriano, maxime in Epistola. 2. libri primi. Sed haec obiter.

Ego certe ex institutione Christi iudico, paruulis ut detur sacra Eucharistia non esse necessarium, id quod tamen Christiani doctores post ducentos annos a Christo glorificato tempore Cypriani necessarium fecerunt, & postea etiam tempore Augustini, atque adeo Augustinus ipse cum alijs necessarium declarauerunt ex uerbis Christi, Nisi manducaueritis &c.

Nam Christus instituit hoc Sacramentum in sui
commemo-

commemorationem, Infantes autem commemorare aut annunciare mortem Domini non possunt. Item diiudicare corpus Domini secundum Paulum non possunt. Neque conuenit eis quod Paulus dicit, Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat & de calice bibat.

Vbi nunc sunt qui contra manifestas Dei ordinationes & expressa uerba Christi in multis causis, satis impie solent nobis obtrudere praescriptionem longi temporis, & clamare Patres, patres, patres, quibus non sufficit ut fateamur Ecclesiam Christianam, catholicam & Apostolicam, nisi etiam faciant nobis Cyprianam, Augustinianam, Gregorianam &c. Quando nobis de Cypriano aut Augustino aut alijs mandauit Christus? Quando praedicant Euangelium a Christo Apostolis mandatum, sunt audiendi, quando autem ut homines sua sine scripturis docent, aut ex scripturis male intellectis nouos articulos fidei & necessarios recipiendos faciunt, arguendi sunt non suscipiendi, secundum illud, Omnia probate, quod bonum est tenete.

Siquidem etiam ipsi ut & nos, debent aedificare non super seipsos, sed ut dicitur Ephe. 1. super fundamentum Apostolorum & prophetarum ipso angulari lapide Iesu Christo, Fundamentum autem hoc Apostolorum & prophetarum non est aliud quam quod ipsi docendo posuerunt, quod est Christus Iesus. 1. Cor. 3.

Hic

Hic uideat unusquisq; doctor Ecclesie siue prædicator usq; ad finem mundi, etiam Cyprianus, etiam Augustinus &c. quomodo superædificet, ne talia doceant, quæ necesse sit quandoq; reuelata ueritate, ac cedente die & igne, perire. Solum enim uerbum Domini stabit in æternum. Sed hæc non sunt huius instituti.

Quid hic habebunt aduersarij nostri, quo tegant hunc sanctorum martyrum & doctorum errorem, quo dixerunt ex his uerbis, Nisi manducaueritis &c. infantibus non posse contingere uitam nisi accepta Eucharistia? Si enim dixerint eos non errasse, damnabunt seipsos, quod hodie Sacramentum infantibus non dant, negligentes eis uitam æternam, & damnabunt nostros infantibus, qui absq; accepta Eucharistia moriuntur. Si autem eos errasse dixerint, desinant nobis contra reuelatam iam ex uerbo Dei ueritatem, obijcere præscriptionem longi temporis & patrum autoritatem, sequantur uero nobiscum autoritatem patris Dei & Domini nostri Iesu Christi & sanctorum Apostolorum, ut simul simus in una Ecclesia catholica & Apostolica.

Neq; uero in hoc sum ut condemnem illos, qui adhuc hodie infantibus dant Sacramentum, quasi peccatum sit illis dare, nam hoc mihi non est mandatum, ne & ego in errorem incidam, dum errorem aliorum corripi.

corripi. Videndum est & mihi, quomodo super fundamentum Christum ædificem, ne ego necessitatem faciam ex non dando, sicut ueteres necessitatem ex dando fecerunt. Non audeo prohibere, quod illi male præceperunt.

Nam aliquis posset defendere hoc esse liberum, & dicere, Tametsi infantes non commemorant siue annunciant mortem Christi, tametsi non dijudicant corpus Christi, tamen sunt in ea congregatione & ad eam congregationem pertinent, in qua fit commemoratio & in qua dijudicatur corpus Domini, quod ipsi facere non possunt, non debent, sed alij faciunt, ad quos ipsi pertinent. Neq; contra eos uidetur illud, Probet autem seipsum homo &c. Quia infantes iam baptizati & spiritu sancto sanctificati, id est, à Christo suscepti, quia ei oblati sunt, non habent quod probent, id est, quod Christo displiceat, quia dicit, Talia uim est regnum cælorum.

Itaq; dare talibus Sacramentum forte permittetur, Sed ex uerbis Christi non satis intellectis, Nisi manducaueritis &c. facere necessitatem eis dandi Sacramentum, sine quo non possent saluari, non debet qui Christianus prædicator siue Ecclesie doctor uult haberi.

HÆC interim omnia libenter dixi de. 6. Capite Ioannis, cum ut aperirem nostram de eo sententiam, tum ut

tum ut etiam auferrem ijs occasionem, qui inde occasionem querunt negandi panē domini in cœna esse corpus eius, & poculum sanguinem, qui si dixerint in eo capite dici de Sacramento panis & uini, faciunt suo periculo, nihil probabunt contra uerba Christi, Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus. Ridicula sunt quorundam, ut dixi, conuerſiones.

Si autem dixerint ibi dici de ſpirituale manducatione, quam nos dicimus fidem in filium Dei incarnatum, qua nos illi incorporamur, non pugnabunt contra nos. Porro ſi dixerint Ioannis ſexto tantum eſſe ſpiritualem manducationem, ergo & in cœna tantum eſſe ſpiritualem corporis & ſanguinis Chriſti ſumptionē, non probabunt, non ſtatuent iſtam conſequentiam, donec ē cœna non abſtulerint panem de quo Chriſtus pronunciat, Hoc eſt corpus meum, & poculum, de quo Chriſtus pronunciat, Hic uel hoc eſt ſanguis meus.

Per hæc itaq; ſeruire uolui etiam illis, qui ſacræ Chriſti inſtitutioni aduerſantur, maxime illis uerborum Chriſti conuerſoribus ſiue inuerſoribus, qui nos antea & ſcriptis priuatis & uerbis coram adiurauerunt, nunc uero etiam publico ſcripto rogauerunt. Quod ſi non audiunt, inueniet Deus, quibus non ſolum hæc de ſexto capite Ioannis, ſed etiam omnia quæ ſupra de Sacramento ſcripſi, proſint. Mea calumniari poterunt, quam artem optime norunt, ut alicrum

alienum librum in manus rapiant & alumnentur omnia indocte, impudenter, impie, ſua uero ſomnia & conuerſiones & additiones contra ſacram cœna Domini inſtitutionem non poterunt ſtatuerē unq;. Siquidem, Cœli & terra tranſibunt, uerbum autem Chriſti ſtabit in æternum.

Deus nouit quid ſentiam de pane & calice Domini, & hæc omnia quæ nunc ſcripſi ſint mihi teſtimonium coram omnibus hominibus, A M E N.

Excusum VVittenberga, pcr Ioannem Luſt. Anno
1. 5. 2. 8.